

PONTIFICALE VESPRIMIENSE

BIBLIOTHECA SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE ÆVORUM
condita a Ladislao Juhász

SERIES NOVA
condita ab Antonio Pirnát

Tomus XX

Consilium editorum
Andreas Vizkelety (præses); Blasius Déri, Ladislaus Havas, Iosephus Jankovics,
Petrus Kulcsár, Editha Madas, Clara Pajorin, Georgius Székely

Seriem redigunt
Enikő Békés et Ladislaus Szörényi

Subseries

MONUMENTA RITUALIA HUNGARICA

Tomus V

Subseriem redigit
Blasius Déri

Institutum Litterarum Academiae Scientiarum Hungaricæ
Sectio Litterarum Renascentium

Universitas de Rolando Eötvös nominata
Facultas Artium, Institutum Antiquitatis
Cathedra Litterarum Latinarum

<http://latin.elte.hu/mrh>

MONUMENTA RITUALIA HUNGARICA V
Bibliotheca Scriptorum Medii Recentisque Ævorum

Pontificale Vespremiense sæculi XIV

Budapest, Országos Széchényi Könyvtár, Clmæ 317

edidit
AGNES SZASZOVSKY

Argumentum Kiadó
BUDAPEST • 2014

Published with the financial support of the Ministry of Education and Culture
through the National Cultural Fund (NKA)
under the project numbered K 78680
of the Hungarian Scientific Research Fund Programmes (OTKA)
and the Hungarian Academy of Sciences (MTA)
through the János Bolyai Research Scholarship

Edited and introduced by
ÁGNES SZASZOVSKY

Supervision by
BALÁZS DÉRI

Scrutinised by
EDIT MADAS

English translations by
ERVIN J. ALÁCSI

English translations scrutinised by
ROBERT A. SKERIS

Cover design by
MÁRIA HODOSI

Cover: XXX

HU ISSN 0133-6711 (BSMRÆ)
HU ISSN 2060-6796 (MRH)
ISBN XXX-XXX-XXX-XXX-X (PV)

© Argumentum Publishing House, 2014
© Szaszovszky Ágnes, 2014

All rights reserved. No part of this book may be reproduced or translated in any form, by print, photoprint, microfilm, microfiche, digital copy or any other means without written permission from the publisher.

PRINTED IN HUNGARY

Index titulorum

Ordo ad catechizandum infantes	9
Ordo in Sabbato Sancto Pascae hora sexta	14
Ordo ad pueros baptizandos	18
Ordo, quomodo baptizati confirmentur	19
Benedictio ad clericum faciendum	20
Ordinatio ostiarii	22
[Ordinatio lectoris]	23
[Ordinatio exorcistae]	24
[Ordinatio acolythi]	24
[Ordinatio subdiaconi]	25
[Ordinatio diaconi et sacerdotis]	27
Incipit ordo ad ... consecrandum episcopum electum	33
Ordo ad consecrandum locum ecclesiae Canon de aedificanda ecclesia	46
Ordo ad consecrationem cimiterii	51
Ordo ad consecrandam ecclesiam	53
Benedictio vestimentorum sacerdotalium	84
Reconciliatio violatae ecclesiae	92
Ordo ad abbatem faciendum	93
Ordo ad abbatissam faciendam	96
Consecratio sacrae virginis	98
De sancto synodo ordo Romanus, qualiter concilium agatur	102
Item alteri[us] diei ordo concilii	104
Item ordo concilii tertii diei	105
Ordo ad benedicendum regem	108
Incipit benedictio reginae in ingressu ecclesiae	113
[Prosa]	115
Ordo ... ad visitandum infirmum	116
Ordo ad communicandum infirmum	118
Ordo commendationis animae	119
[Septem psalmi paenitentiales]	129
Quindecim gradus	133
[Præparatio ad missam]	137
[Benedictionale]	146
Benedictio ensis	155
[Benedictio] in dedicatione ecclesiae	155
Incipit ordo ad consecrationem altaris	156
[Præx ad consecrandum cimiterium]	164
[Index titulorum]	165

TEXTUS

I. Ordo ad catechizandum¹ infantes

1. Quicum venerint ad ecclesiam, scribantur nomina singulorum ab acolytho, et statuatur masculi in dextera parte, feminæ autem in sinistra, et sufflat presbyter in infantem, ita dicens:

Recede immunde spiritus ab hac imagine Dei, et da locum Spiritui Sancto.

2. Deinde crucem facit in fronte eius, sic dicendo:

Signum sanctæ Crucis Domini nostri Iesu Christi in frontem tuam pono.

3. Sequitur oratio:

ACCIPE signum crucis Christi, tam in fronte, quam in corde, sume fidem cælestium præceptorum, talis esto moribus ut templum Spiritus Sancti, iam esse possis ingressusque ecclesiam Dei, evasisse te laqueos mortis letus agnosce, horresce idola, respue simulacra, cole Deum Patrem omnipotentem et Iesum Christum Filium eius, qui vivit et regnat Deus cum Spiritu Sancto in æterna sæcula sæculorum. [R.] Amen.

4. Tunc faciat crucem in pectus suum, et dicit hanc orationem:

TE deprecor, Domine Sancte Pater, omnipotens æterne Deus, ut huic famulo tuo, qui in sæculi huius nocte vagatur incertus, et dubius viam veritatis et agnitionis tuæ iubeas demonstrari, **17** quatenus reseratis oculis, cordis sui, te, unum Deum Patrem in filio et filium in Patre cum Spiritu Sancto recognoscat, atque istius confessionis fructum, hic et in futuro sæculo percipere mereatur. Per ... qui venturus.

5. Deinde pone manum super caput infantis, dicens hanc orationem:

OMNIPOTENS sempiternæ Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, respicere dignare super hunc famulum tuum, **N.**, quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es, omnem cæcitatem cordis ab eo expelle, disrumpe omnes laqueos Satanæ, quibus fuerat colligatus, aperi ei, Domine, ianuam pietatis tuæ, ut signo sapientiæ tuæ imbutus omnium cupiditatum fetoribus careat, et ad suavem odorem præceptorum tuorum, lætus tibi in ecclesia tua deserviat, et proficiat de die in diem, ut idoneus efficiatur accedere ad gratiam baptismi tui, percepta medicina. Per eundem.

6. Oratio:

PRECES nostras, quæsumus, Domine clementer exaudi, et hunc electum tuum crucis dominicæ, cuius impressione eum signamus, virtute custodi, ut magnitudinis tuæ rudimenta servans, per custodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur.

¹ Ms. catezizandum.

7. Oratio:

DEUS, qui humani generationis ita es *12'* conditor, ut sis etiam reformator propitiare populis adoptionis, et novo testamento sobolem novæ prolis ascribe, ut filii promissionis, quod non potuerunt assequi per naturam, gaudeant se percepisse per gratiam. Per.

8. Benedictio salis ad dandum catechumenis:

EXORCIZO te, creatura salis in nomine Dei Patris omnipotentis, et in caritate Domini nostri Iesu Christi, et in unitate Spiritus Sancti. Exorcizo te per Deum vivum, per Deum verum, qui te ad tutelam generis humani procreavit, et populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari præcepit, proinde rogamus te, Domine Deus noster, ut hæc creatura salis in nomine Sanctæ Trinitatis efficiatur salutare sacramentum, ad effugandum inimicum, quam tu, Domine sanctificando sanctifices et benedicendo benedicas, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum in nomine Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare vivos et mortuos.

9. Benedictio:

BENEDIC, omnipotens Deus hanc creaturam salis tua benedictione cælesti in nomine Domini nostri Iesu Christi et in virtute Spiritus tui ad effugandum inimicum, quem sanctificando sanctifices et benedicendo benedicas, fiatque omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus summentium in nomine Domini nostri Iesu Christi, qui venturus *12'* est iudicare.

10. Post hæc interroget sacerdos nomen infantis, et imponat manum, mittatque sal in os infantis, dicens:

Accipe salem sapientiæ, propitiatus in vitam æternam. [R.] Amen.

11. Oratio super masculos post datum salem:

DEUS patrum nostrorum, Deus universæ, Conditor creaturæ, te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum, **N.**, respicere digneris propitius, ut hoc primum pabulum salis gustantem non diutius esurire patiaris, quominus cibo expleatur cælesti, quatenus sit semper Domine Spiritu fervens, spe gaudens, tuo nomini serviens, perduc eum ad novæ regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum æterna præmia consequi mereatur. Per Dominum ... qui venturus.

12. Iterum fac crucem in fronte eius, dicendo:

DEUS Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus, qui Moysi, famulo tuo in monte Sinai apparuisti, et filios Israel de terra Egypti eduxisti, deputans eis angelum pietatis tuæ, qui custodiret eos die ac nocte, te quæsumus, Domine, ut mittere digneris sanctum angelum tuum, ut similiter custodiat et hunc famulum tuum, **N.**, et perduc eum ad gratiam baptismi tui.

13. Oratio:

ERGO, maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, et da hono**3**/rem Deo vivo et vero, da honorem Iesu Christo Filio eius et Spiritui Sancto, et recede ab hoc famulo Dei, **N.**, quia istum sibi Deus et Dominus noster Iesus Christus ad suam gratiam et benedictionem fontemque baptismatis vocare dignatus est, et hoc signum sanctæ crucis, quod nos fronti eius damus, tu maledicte diabole numquam audeas violare. Per.

14. Oratio:

DEUS immortale præsidium omnium postulantium, liberatio supplicum, pax rogantium, vita credentium, resurrectio¹ mortuorum. Te invoco super hunc famulum tuum, qui beatissimi tui donum appetens, æternam consequi misericordiam spiritali regeneratione desiderat, accipe eum, Domine, et qui a² dignatus³ es dicere: petite, et accipietis, quærite, et invenietis, pulsate, et aperietur vobis, petentibus itaque præmium porrige, quærentibus gratiam inveniendi demonstra, et ianuam pande pulsantibus, ut æternam cælestis lavacri benedictione consecutus, promissa tui muneris regna percipiat. Per.

15. Oratio:

AUDI, maledicte Satanas adiuratus per nomen æterni Dei et Salvatoris nostri Filii eius, cum tua victus invidia tremens gemensque discede, nil tibi sit commune cum servo Dei, iam cælestia cogitanti renuntiatur tibi ac sæculo tuo, et beatæ immortalitatis requiæ victuro, da igitur hono**3**/rem adveniendi Spiritui Sancto, qui ex summa cælesti arcæ descendens pro turbatis fraudibus tuis, divino fonte purgata, pectora sanctificata Deo templum et habitaculum perficiat, ut ab omnibus penitus noxis præteritorum criminum liberatus servus Dei, gratias perenni Deo referat semper, et benedicat nomen eius sanctum in sæcula sæculorum. Per ... qui venturus.

16. Super masculos:

EXORCIZO te, immunde spiritus, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut exeas et recedas ab hoc famulo Dei, **N.**, ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulavit, et Petro mergenti dexteram porrexit.

17. Item super frontes feminarum facit crucem:

ERGO maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, et da honorem Deo vivo et vero, da honorem Iesu Christo Filio eius et Spiritui Sancto, et recede ab hac formula Dei, **N.**, quia istam sibi Deus et Dominus noster Iesus Christus ad suam gratiam et benedictionem fontemque baptismatis vocare dignatus est, et hoc signum san-

¹ Ms. resur rectio.

² Orig. del.

³ Ms. dignusatus.

ctæ crucis, quod nos fronti eius damus, tu, maledicte diabole, numquam audeas violare. Præstante.

18. Oratio:

DEUS cæli, Deus terræ, Deus angelorum, Deus archangelorum, Deus prophetarum, Deus apostolorum, Deus martyrum, Deus confessorum, Deus virginum, Deus omnium bene viventium, Deus, cui omnis lingua confitetur et omne genu flectitur, cælestium, terrestrium et infernorum, **✠** te invoco, Domine, super hanc famulam tuam, **N.**, ut perducere eam digneris ad gratiam baptismi tui.

19. Oratio:

ERGO maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, et da honorem Deo vivo et vero, da honorem Iesu Christo Filio eius et Spiritui Sancto, et recede ab hac formula Dei, **N.**, quia istam sibi Deus et Dominus noster Iesus Christus ad suam gratiam et benedictionem fontemque baptismatis vocare di[g]natus est, et hoc signum sanctæ crucis, quod nos fronti eius damus, tu, maledicte diabole, numquam audeas violare. Præstante.

20. Oratio:

EXORCIZO te immundo spiritus per Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, ut ex eas et recedas ab hac formula Dei, **N.**, ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui cæco nato oculos aperuit, et quadriduanum Lazarum de monumento suscitavit.

21. Oratio:

ERGO, maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, et da honorem Deo vivo et vero, da honorem Iesu Christo Filio eius et Spiritui Sancto, et recede ab hac formula Dei, quia istam sibi Deus et Dominus noster Iesus Christus ad suam gratiam et benedictionem fontemque baptismatis vocare dignatus est, et hoc signum sanctæ crucis, quod nos fronti eius damus, tu, maledicte diabole, numquam audeas violare. Præstante.

22. Oratio tam super masculos, quam super feminas:

ÆTERNAM et iustissimam pietatem deprecor, Domine **✠** Pater omnipotens æterne Deus, qui es auctor luminis et veritatis, et super hunc famulum et famulam tuam benedictionem tuam infundas, ut digneris eos illuminare lumine intelligentiæ tuæ, munda eos et sanctifica, da eis scientiam veram, ut digni efficiantur accedere ad gratiam baptismi tui, teneant firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam, ut apti sint ad percipiendam gratiam baptismi tui. Per ... qui venturus.

23. Post hæc presbyter tenens manum super caput infantis, dicat evangelium. Secundum Matthæum:

IN illo tempore. Efferebant Iesu parvulos, ut manus eis imponeret. Discipuli autem increpabant eos. Iesus autem ait illis. Sinite parvulos, et nolite prohibere eos ad me venire. Talium est enim regnum cælorum. Et cum imposuit eis manus, abiit inde.

24. Hic accipiat acolythus ipsos infantes, vel qui eos suscipiunt in sinistro brachio, primo masculos, deinde feminas, mittatque ipse acolythus sive presbyter manum super capita eorum, et annuntiet fidem singulorum symbolum canendum, id est:

CREDO in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli et terræ, et in Iesum Christum Filium eius, unicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus, descendit ad infernum, tertia die resurrexit **15^o** a mortuis, ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem et vitam æternam. [R.] Amen.

25. Hic legatur:

PATER noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cælo et in terra. Panem nostrum cottidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra. Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. [R.] Amen.

26. Et tunc demum ponat manum suam super capita eorum, et dicat:

ECCE¹ latet Satanas imminere tibi tormenta, imminere tibi pœnas, imminere tibi diem iudicii, diem supplicii sempiterni, diem, qui venturus est, velut clibanus ardens, in quo tibi atque universis tuis angelis æternus veniet interitus, «pro tu...» pro tua nequitia damnatæ atque damnandæ, da honorem Deo vivo et vero, da honorem Iesu Christo Filio eius et Spiritui Sancto, in cuius nomine atque virtute præcipio tibi quicumque es immunde spiritus, ut ex eas et recedas ab hoc famulo Dei, quem hodie Deus et Dominus noster Iesus Christus ad suam gratiam et benedictionem fontemque baptismatis dono vocatus est, ut fias eius templum per aquam regenerationis in remissionem **15^o** omnium peccatorum, in nomine Domine nostri Iesu Christi.

27. Demum tangat nares et aures de sputo, et dicat his verbis ad aurem sinistram:

Effeta, quod est adaperire.

28. Ad nares autem:

In odorem suavitatis.

29. Ad aurem dexteram:

Tu autem effugare diabole ap[p]ropinquabit enim iudicium Dei.

¹ Sic, malim: Nec te.

II. Ordo in Sabbato Sancto Pascae hora sexta

1. Pontifex induat se sacris vestibus, non casula, sed cappa, ac sedeat iuxta altare in minori sede, et dicat orationes, et clerus solito more praearet se ad officium. In primis archidiaconus in pulpito benedicat caelum, demum lectiones XII, et cet[er]um¹ ordinate peragantur, his finitis descendatur ad fontes, et litaniam incipiat cantor sic, hic subsequitur:

Kyrie, eleison. Christe, eleison.

Christe, audi nos. Salvator mundi, adiuva nos.

Sancta Maria. Ora.

Sancta Dei Genitrix. Ora.

Sancta Virgo virginum. Ora.

Sancte Michael. Ora pro.

Sancte Gabriel. Ora.

Sancte Raphael. Ora.

Omnes sancti angeli et archangeli. [Orate.]

Sancte Ioannes baptista. Ora.

Omnes sancti patriarchae et prophetae. [Orate.]

Sancte Petre. Ora.

Sancte Paule. Ora.

Sancte Andrea. Ora.

Sancte Iacobe. Ora.

Sancte Ioannes evangelista. Ora.

Sante Marce evangelista. Ora.

Omnes sancti apostoli et evangelistae. Orate.

Sancte Stephane. Ora.

Sancte Iuliane. Ora. **16'**

Sancte Laure[n]ti. Ora.

Sancte Georgii. Ora.

Sancte Gerarde. Ora.

Omnes sancti martyres. Orate.

Sancte Silvester. Ora.

Sancte Martine. Ora.

Sancte Nicolae. Ora.

Sancte Leonarde. Ora.

Sancte Wilibalde. Ora.

Sancte Benedicte. Ora.

Sancte rex Stephane. Ora.

Sancte Hernice. Ora.

Sancte Ladizlae. Ora.

¹ *Orig. add. Malim: cetera.*

Sancte Francisce. Ora.
 Sancte Antoni. Ora.
 Sancte Dominice. Ora.
 Omnes sancti confessores. Orate.
 Sancta Maria Magdalene. [Ora.]
 Sancta Teda.¹ Ora.
 Sancta Affra. Ora.
 Sancta Elena. Ora.
 Sancta Felicitas. Ora.
 Sancta Perpetua. Ora.
 Sancta Agnes. Ora.
 Sancta Agatha. Ora.
 Sancta Margareta. Ora.
 Sancta Catharina. Ora.
 Sancta Elysabeth. Ora.
 Omnes sanctæ virgines et viduæ. Orate.
 Omnes sancti. Orate pro.

 Propitius esto. Parce nobis.
 Propitius esto. Libera nos, Domine.
 Ab ira tua. Libera nos, Domine.
 Ab insidiis diaboli. Libera.
 A subitanea et improvisa morte. [Libera.]
 A morte perpetua. Libera nos, Domine.
 Ab omni malo. Libera nos, Domine.
 Per annunciationem tuam. Libera, Domine.
 Per nativitatem tuam. Libera nos.
 Per baptismum tuum. Libera nos.
 Per sanctum ieiunium tuum. Libera nos, Domine.
 Per passionem et crucem tuam. Libera.
 Per mortem et sepulturam tuam. Libera.
 Per resurrectionem et ascensionem. [Libera.]
 Per gratiam Spiritus Sancti paracliti. Libera.
 In hora mortis, succurre. **161** [Libera.]
 In die iudicii. Libera nos, Domine.

 Peccatores. Te rogamus, audi.
 Ut sanitatem nobis dones. Te.
 Ut pacem nobis dones. Te rogamus.
 Ut gratiam Sancti Spiritus cordibus nostris clementer infundere digneris. Te roga-
 mus, audi.

¹ *Sic, malim:* Tecla.

Ut dominum apostolicum et omnem ecclesiasticum in sancta religione
conservare digneris. Te.

Ut ecclesiam tuam regere et defendere digneris. Te rogamus.

Ut pontificem¹ nostrum cum commisso sibi grege custodi. Te.

Ut regem nostrum et exercitum eius perpetua prosperitate conservare digneris. Te.

Ut fontem istum benedicere et sanctificare digneris. Te rogamus.

Ut morbos auferas, famemque cum mortalitate a nobis repellere digneris. Te
rogamus, audi nos.

Ut fructus terræ dare et conservare digneris. Te rogamus.

Ut cunctum populum Christianum pretiosissimo sanguine tuo redemptum custodias.
Te rogamus, audi nos.

Ut omnibus infirmis sanitatem donare digneris. Te rogamus.

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris. Te rogamus, audi
nos.

Ut nobis miserere misericors miserere digneris. Te rogamus, audi nos.

Ut nos exaudire digneris. [Te rogamus, audi nos.]

Ut custodire digneris. Te.

Filii Dei. Te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata.

Christe, audi nos.

Kyrie, eleison. **171** Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster **per totum.**

2. Sequitur benedictio fontis. Oratio:

OMNIPOTENS sempiternæ Deus, adesto magnæ pietatis tuæ mysteriis, adesto sa-
cramentis, et ad creandos novos populos, quos tibi fons baptismatis parturit,
spiritum adoptionis mitte, ut quod humilitatis nostræ gerendum est mysterio, tuæ
virtutis compleatur effectu. Per.

3. Per omnia sæcula sæculorum. [R.] Amen. Dominus vobiscum. [R.] Et cum spiritu tuo. Sursum
corda. [R.] Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino, Deo nostro. [R.] Dignum et iustum
est. **Præfatio:**

U... ÆTERNE Deus. Qui invisibili potentia sacramentorum tuorum mirabili-
ter operaris effectum, et licet nos tantis myster[i]is exsequendis simus indig-
ni, tu tamen gratiæ tuæ dona non deserens, etiam ad nostras preces aures tuæ pietatis
inclina.

¹ *Inter lineas* archiepiscopum.

4. Oratio:

DEUS, cuius spiritus super aquas inter ipsa mundi primordia ferebatur, ut iam tunc virtutem sanctificationis aquarum natura conciperet, Deus, qui nocentis mundi crimina per aquas abluens regenerationis speciem in ipsa diluvii effusione signasti, ut unius eiusdemque elementi mysterio, et finis esset vitii et origo virtutibus. Respice, Domine, in faciem ecclesiae tuae, et multiplica in ea regenerationes tuas, qui **17'** gratiae tuae affluentis impetu laetificas, civitatem tuam fontemque baptismatis aperis toto orbe terrarum gentibus innovandis, ut tuae maiestatis imperio sumat Unigeniti tui gratia de Spiritu Sancto. Qui hanc aquam regenerandis hominibus praeparatam, archa[na] sui luminis admixtione fecundet, ut sanctificatione concepta, ab immaculato divini fontis utero, in novam renata creaturam progenies caelestis emergat. Et quos aut sexus in corpore aut aetas discernit in tempore, omnes in unam pariat gratia mater infantiam, procul ergo hinc, iubente te, Domine, omnis spiritus immundus abscedat, procul tota nequitia diabolice fraudis absistat. Nihil hic loci habeat contraria virtutis admixtio, non insidiando circumvolet, non latendo subripiat, non inficiendo corrumpat. Sit haec sancta et innocens creatura libera ab omni impugnatoris incursu, et totius nequitiae purgata discessu. Sit fons vivus, aqua regenerans, unda purificans. Et omnes hoc lavat[r]o¹ salutifero diluendi, operante in eis Spiritu Sancto, perfectae purgationis indulgentiam consequantur. Unde benedico te, creatura aquae per Deum vivum, per Deum sanctum, qui te in principio verbo separavit ab arida, et in quattuor fluminibus totam terram rigare praecipit. Qui te in deserto **a/8'**maram suavitate indita fecit esse potabilem, et scienti² populo de petra perduxit.³ Benedico te per Iesum Christum Filium eius, unicum Dominum nostrum, qui te in Cana Galilaeae signo admirabili sua potentia convertit in vinum. Qui pedibus super te ambulavit, et a Ioanne in Iordane in te baptizatus est. Qui te una cum sanguine de latere suo produxit, et discipulis suis iussit, ut credentes baptizarentur in te, dicens: Ite, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

5. Hic mutet vocem, quasi legens:

HAEC nobis praepcepta servantibus, tu, Deus omnipotens clemens adesto, tu benignus aspira, tuas simplices aquas tuo ore benedicito, ut praeter naturalem emundationem, quam lavandis possit adhibere corporibus, sint etiam purificandis mentibus efficaces.

6. Hic ponantur cerei in aquam.

De[sce]ndat⁴ in hac plenitudinem fontis virtus Spiritus tui, totamque huius aquae substantiam regenerandis fecundet effectum.⁵

¹ *Orig. add. Malim:* lavacro.

² *Sic, malim:* sitiendi.

³ *Sic, malim:* produxit.

⁴ *Orig. add.*

⁵ *Sic, malim:* regenerandi fecundat effectum.

7. Hic sufflat tribus vicibus iuxta hanc figuram.¹

HIC omnium peccatorum maculae deleantur, hic natura ad imaginem tuam condita, et ad honorem sui reformata principii cunctis vetustatis squaloribus emundetur, ut omnis homo hoc sacramentum regenerationis ingressus, in vere innocentiae novam infantiam renascatur. Per Dominum ... qui venturus. **18'**

8. Tunc aspergat presbyter de eadem aqua super fontem, et super circumstantes, et qui voluerint, accipiant de ipsa aqua in vasis suis, ad aspergendum, ubi voluerint. Et postea infundat ipse presbyter chrisma in fontem in modum crucis, ita dicens:

Sanctificetur et fecundetur fons iste in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

¹ *Ipsa figura deest.*

III. Ordo ad pueros baptizandos

1. Cum offeruntur pueri baptizandi presbytero, presbyter primo tangat pectus infantis de oleo sancto in modum crucis cum pollice et nomina[n]s puerum, dicat:

Et ego lineo te oleo salutis.

2. Et etiam inter scapulas, dicens:

In Christo Iesu Domino nostro.

3. Interea respondit:

Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem caeli et terrae? **R.** Credo.

Credis et in Iesum Christum Filium eius, unicum Dominum nostrum, natum et passum? **[R.]** Credo.

Credis in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem et vitam aeternam post mortem? **R.** Credo.

Vis baptizari? **R.** Volo.

4. Tunc accipiet eos a parentibus et baptizet primo masculos, demum feminas trinam mersionem Sanctam Trinitatem semel invocans, dicens:

Baptizo te in nomine Patris **et mergat semel** et Filii **et mergat secundo** et Spiritus Sancti.

5. Et mergat tertio, ut autem levantur a fonte, faciat presbyter signum crucis de chrismate in vertice eorum, dicens:

DEUS¹ omnipotens Pater Domini nostri **✠** Iesu Christi, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te liniet chrismate salutis in vitam æternam.

6. Et sacerdos imponat chrismale super capita eorum, dicens istam orationem:

Accipe vestem candidam sanctam et immaculatam, quam perferas ante tribunal Christi, ut habeas vitam æternam, et vivas in sæcula sæculorum. [R.] Amen.

7. Tunc vestiantur infantes vestimentis suis, et si episcopus adest, statim confirmari oportet.

¹ Ms. Qs, *id est* quæsumus.

IV. Ordo, quomodo baptizati confirmentur

1. [Formula:]

Spiritus Sanctus superveniat in vos, et virtus Altissimi [custodiat vos a peccatis].² [R.] Amen.

2. Dominus vobiscum. [R.] Et cum spiritu tuo. **Oratio:**

OMNIPOTENS sempiternæ Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos **vel** famulas tuas ex aqua et Spiritu Sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum, immitte in eis septiformem spiritum sapientiæ et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, spiritum scientiæ et pietatis, et imple eos **vel** eas spiritu timoris tui, et consigna eos **vel** eas signo sanctæ crucis ad vitam propitiatus æternam. Per Dominum nostrum ... in unitate.

3. Tunc faciet crucem cum chrismate in frontibus singulorum:

Confirmo et consigno te signo sanctæ crucis et chrismate sanctificationis, in nomine Patris et Filii et Spiritus **✠** Sancti.

4. Pax tecum. [Benedictio:]

Ecce sic benedicetur homo omnis, qui timet Dominum. Benedicat vos³ Dominus ex Sion, et videatis, quæ bona sunt in Ierusalem omnibus diebus vitæ nostræ, et habeatis vitam æternam, et vivatis in sæcula sæculorum. [R.] Amen.

² *In rasura.*

³ *s in rasura.*

5. Dominus vobiscum. [Oratio:]

DEUS, qui apostolis tuis Sanctum dedisti Spiritum, et per eos eorumque successores ceteris fidelibus tradendum esse voluisti, respice propitius ad humilitatis nostræ famulatum, et præsta, ut eorum corda, quorum **vel** quarum frontes sacro chrismate delinimus, et signo crucis consignamus,¹ idem Spiritus Sanctus adveniens, templum gloriæ suæ dignanter habitando perficiat. Qui vivis.

6. Tunc dicat diaconus: Humiliate vos ad benedictionem. [R.] Deo gratias. [Benedictio:]

OMNIPOTENS Deus, qui vos fecit aqua baptismatis renasci, ipse vos corroboret dono septiformis Spiritus paracliti, quia sic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum, ut habeat regni cælestis introitum. [R.] Amen.

Benedicat vo[s]² ex Sion, ut videas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ vestræ, et in omnibus sumatis scutum fidei, ut mereamini in castis æterni regis ascribi. [R.] Amen.

Custodiatque vos in timore sanctissimo suo, et tribuat vobis pacis unitatem et contra omnes hostes victoriam triumphalem, ut signaculum fidei timeatis,³ /10/ usque in finem impollutum custodiatis. [R.] Amen.

Quod ipse præstare dignetur, cuius regnum et imperium permanet in sæcula sæculorum. [R.] Amen.

Et benedictio Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat, et maneat super nos semper. [R.] Amen.

7. Et postea dicit episcopus:

Ite in nomine Domini in pace, et angelus Domini sit semper vobiscum in ultionem inimicorum Dei.

¹ con *in rasura*, *orig. corr. de -signavis*.

² *In rasura*.

³ *Rasura ante verbum, cum vestigiis litteræ m*.

V. Benedictio ad clericum faciendum

1. [Oratio:]

OREMUS, dilectissimi fratres, Dominum nostrum Iesum Christum pro hoc famulo suo, **N.**, qui ad ponendam comam capitis sui eius amore festinat, ut donet ei Spiritum Sanctum, qui habitum religionis in eo perpetuum conservet, et a mundi impedimento vel sæculari desiderio cor eius defendat, ut sicut immutatur in multo, ita manus dexteræ eius et virtutis tribuat incrementa, et ab omni cæcitate humana oculos eius aperiat, et lumen ei æternæ gratiæ concedat. Per.

2. *Hic induatur cappa episcopus.* Oremus. Flectamus genua. Levate. *Oratio:*

ADESTO supplicationibus nostris, Domine, et hunc famulum tuum, **N.**, benedicere dignare, cui in tuo sancto nomine habitum sac̄er̄æ¹ religionis imponimus, ut, te largiente, et devotus in ecclesia persistere, et vitam percipere mereatur æternam. Per Dominum nostrum.

3. *Tunc tondit caput episcopus, dicit hanc antiphonam:*² /107/

Tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi. Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei. Repetatur Tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Repetatur Tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi. Sicut erat in principio et nunc et semper, et in sæcula sæculorum amen. Tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.

4. [Antiphona:]

Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo, salutari suo, quia hæc est generatio quærentium Dominum.

5. *Psalmus:*

DOMINI est terra et plenitudo eius, orbis terrarum et universi, qui habitant in eo. Quia ipse super maria fundavit [eum], et super flumina præparavit eum. [Q]uis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec iuravit in dolo proximo suo. Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo. Hæc est generatio quærentium «Dominum» [eum], quærentium faciem Dei Iacob. At[t]ollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio. At[t]ollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.

6. *Sequitur oratio:*

OMNIPOTENS sempiternæ Deus, propitiare peccatis nostris, [et]³ ab omni servitute sæcularis habitus hunc famulum tuum, **N.**, conservare digneris, ut qui ignominiam sæcularis habitus deponit, tua semper in ævum perfruatur gratia, et similitudinem coronæ tuæ eum gestare fecimus in capite, sic tua virtute hæreditatem sempiternam subsequi mereatur in corde. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

¹ *Orig. del.*

² *Coni. Ms. antiphonam.*

³ *Orig. add.*

7. [Oratio:] ꝥ¹

BENEDICAT te Dominus, et custodiat, ostendat faciem suam tibi, et misereatur tui, convertat quoque vultum suum ad te, et det tibi pacem. Invocabo nomen Domini **1117** Dei super te, ut ille te benedicat. Qui sine [fine vivit in sæcula sæculorum].²

8. Incipit ordo de [minoribus]³ ordinibus benedicendis. Psalmista idem cantor potest absque scientia episcopi sola iussione presbyteri, officium cantandi suscipere, dicente sibi presbytero vel potius episcopo, et dante sibi antiphonarium in manus.

Videte, ut, quod ore cantatis, corde credatis, et quod corde creditis, operibus probetis.

¹ *Littera initialis P caeruleo colore falso depicta in loco altitudinis trium linearum in altitudine duarum inferiorum, B autem rubrum recte in altitudine unius superioris.*

² *In rasura.*

³ *In rasura.*

ORDINATIO OSTIARII

9. Ostiarius cum ordinatur, cantato missæ introitu, «dominica» [dicta]⁴ prima collecta, dicat archidiaconus:

Accedant, qui ordinandi sunt ostiarii.

10. Tunc accedant ostiarii ad consecrandum. In primis interdicit episcopus, ne quis ad illos sacros ordines furtim vel persimoniam accedere præsumat, quia consecrationem non susciperet, sed ad damnationem exponens eis, simoniæ periculum a manu, lingua, et ab officio. Ostiarii cum ordinantur ad suggestionem archidiaconi, tradat eis episcopus claves ecclesiæ, dicens:

Sic agite, quasi reddituri rationem Deo, pro his rebus, quæ istis clavibus includuntur.

11. Tunc ducat eos archidiaconus ad ostium ecclesiæ. Præfatio ostiariorum dicenda:

DEUM Patrem omnipotentem, fratres carissimi⁵, suppli[ci]ter⁶ deprecemur, ut hos famulos suos benedicere dignetur, quos in officium osti~~12~~ariorum eligere dignatus est, ut sit eis fidelissima cura in domo Dei diebus ac noctibus, ad institutionem horarum certarum, ad invocandum nomen Domini nostri Iesu Christi. Qui cum eo vivit et.

⁴ *Orig. corr.*

⁵ *Ms. karissimi (semper).*

⁶ *Orig. add.*

12. Oremus. **Et diaconus:** Flectamus genua. Levate. **Benedictio e[or]undem:**

DOMINE sancte Pater, omnipotens æterne Deus, benedicere dignare hos famulos [tuos]¹ in officium ostiariorum, ut inter ianitores ecclesiæ tuæ pare[a]nt² obsequiis, et inter electos tuos partem tuæ mereantur habere mercedis. Per.

¹ *Orig. add.*

² *Orig. add.*

[ORDINATIO LECTORIS]

13. **Luncta³ prima lectione et dicto responso et oratione, dicat archidiaconus:**

Ostiarium[s] (...) ordina[tis] (...) lectores accedant.

14. **Tunc accedentes, qui ordinandi sunt lectores, tradat eis episcopus codicem divinarum lectionum, dicens:**

Accipite, et estote verbi Dei, relatores habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum partem cum hiis, qui verbum Dei bene administraverint. Elegerunt vos, fratres vestri, ut sitis lectores in domo Domini Dei nostri, et agnoscatis officium vestrum, et impleatis illud. Potens est enim Deus, ut augeat vobis gratiam.

15. **Præfatio lectorum:**

OREMUS, dilectissimi nobis, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos in ordinem lectorum dignatur assumere, benedictionem suam **cle- /127/**menter effundat, quatenus distincte legant, quæ in ecclesia [Dei]⁵ legenda sunt, et eadem operibus impleant. Per.

16. Oremus. Flectamus genua. Levate. **Benedictio lectorum:**

DOMINE sancte Pater, omnipotens æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos in officium lectorum, ut assiduitate lectionum sint apti pronunciare verba vitæ, et mentis ac vocis distinctione populo monstrare intelligibilia, et in utroque sanctæ ecclesiæ gratiam pro suis modulis spirituali devotione resonent. Per.

³ *Orig. corr.:* cantata.

⁴ *Orig. correctiones.*

⁵ *Orig. add.*

[ORDINATIO EXORCISTAE]

17. Tunc lecta secunda lectione, et dicto responso et oratione, dicat archidiaconus:

Lectores, qui ordinandi sunt exorcistæ, accedant.

18. Tunc accedentes, qui ordinandi sunt exorcistæ, tradat eis episcopus librum, in quo scripti sunt exorcismi, dicens:

Accipite et commendate memoriæ et habetote potestatem imponendi manus super ene[r]guminos sive baptiza[tos]¹ sive catechumenos.

19. Præfatio exorcistarum:

DEUM Patem omnipotentem, fratres carissimi, supplices deprecemur, ut hos famulos præsentis benedicere dignetur in officium exorcistarum, ut si[n]t spirituales imperatores ad abiiciendos demones de corporibus obsessis cum omni nequitia eorum multiformi, adiuvante Domino nostro Iesu Christo, qui cum eo vivit et regnat in unitate.

20. Oremus. Flectamus genua. Levate. **Benedictio exorcistarum: /13'/**

DOMINE sancte Pater, omnipotens æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos in officium exorcistarum, ut per impositionem manuum et oris officium, potestatem et imperium habeant spiritus immundos coherendi et eiiciendi eos per verbum Filii tui Domini Dei nostri, et probabiles sint medici ecclesiæ tuæ gratia curationum virtuteque cælesti confirmati. Per eundem.

¹ *In rasura.*

[ORDINATIO ACOLYTHI]

21. Tunc lecta tertia lectione, et dicto responso et oratione, dicat iterum archidiaconus:

Exorcist[is ordinatis accedant acolytandi.]²

22. Tunc veniant, qui ordinandi sunt acolythi. Primum ab episcopo doceantur, qualiter in officio suo agere deb[e]ant, sed ab archidiacono accipiant ceroferarium cum cereo, dicente sibi episcopo:

Accipite ceroferarium cum cereo, ut sciatis vos ad accendenda ecclesiæ luminaria mancipari.

² *In rasura.*

23. Accipiant urceolum vacuum, dicente sibi episcopo:

Accipite urceolum ad suggerendum vinum et aquam in eucharistiam sanguinis Christi.

24. Præfatio acolythorum:

DEUM Patrem omnipotentem, fratres carissimi, suppliciter deprecemur, ut hos famulos suos, **N.**, benedicere dignetur in ordinem acolythorum, quatenus lumen visibile manibus præferentes, lumen quoque spirituale moribus præbeant.

25. Oremus. **Et diaconus dicat:** Flectamus genua. **Oratio:**

DOMINE sancte Pater, omnipotens æterne Deus, qui ad Moysen et Aaron locutus es, ut **/13/** accenderentur lucernæ in tabernaculo testimonii, benedicere et sanctificare dignare hos famulos tuos, [ut]¹ sint acolythi in ecclesia tua.

26. Oratio:

DOMINE sancte Pater, omnipotens æterne Deus, qui per Iesum Christum Filium tuum et apostolos tuos in hunc mundum lumen claritatis misisti, quique, ut mortis nostræ antiquum aboleret chirographum gloriosissimæ illum crucis vexillo affigi, et sanguinem et aquam ex latere illius pro salute generis humani effluere voluisti, benedicere dignare hos famulos tuos, **N.**, in officium acolythorum ad accedendum lumen ecclesiæ tuæ, et ad suggerendum vinum et aquam ad conficiendum sanguinem Christi Filii tui, in offerenda eucharistia, sanctis altaribus tuis fideliter subministrent. Accende, Domine, mentes eorum et corda ad amorem gratiæ tuæ, ut illuminati vultu splendoris tui, fideliter tibi in ecclesia tua deserviant. Per eundem.

27. Alia oratio:

OMNIPOTENS sempiternæ Deus, fons lucis et origo bonitatis, qui per Iesum Christum Filium tuum, lumen verum, mundum illuminasti, eiusque passionis mysterio redemisti, benedicere dignare hos famulos tuos, **N.**, quos in officium acolythorum consecramus, poscentes tuam clementiam, ut eorum mentes et lumine scientiæ illustres, et pietatis tuæ rore irriges, ut **/14/** ita perceptum ministerium peragant, qualiter ad æternam remunerationem pervenire mereantur. Per eundem.

¹ *In rasura.*

[ORDINATIO SUBDIACONI]

28. Demum oratio missæ, qua expleta, dicat archidiaconus:

Accedant, qui ordinandi sunt subdiaconi.²

² *Ms. in rubrica.*

29. *Accedentes ergo subdiaconi cum ordinantur. Manus impositionem non accipiunt, patenam de manu episcopi accipiant vacuam et calicem vacuum, de manu vero archidiaconi accipiant urceolum cum aquamanile ac manutergium, dicente sibi episcopo:*

VIDETE, cuius ministerium vobis traditur, ideo si usque nunc fuistis tardi ad ecclesiam amodo debeatis¹ esse assidui. Si usque nunc somnolenti amodo vigiles. Si usque nunc ebriosi a modo sobrii. Si usque nunc incesti amodo casti. Oblationes, quæ veniunt in altare, panes propositionis appellantur de ipsis oblationibus tantum debet in altari poni, quantum populo possit sufficere. Ne aliquid putridum in sacrario remaneat. Pallæ vero, quæ sunt in substractorio altaris in alio debent lavari vasæ, in alio corporales, ubi pallæ et corporales lotæ² fuerint, nullum linteamen aliud ibidem debet lavari. Ipsa autem in baptisterium debet mergi. Ideo vos admoneo, ut tales vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.

30. *Præfatio subdiaconorum:*

OREMUS Deum ac Dominum **/14/** nostrum, fratres carissimi, ut super hos s[er]vos, quos ad subdiaconatus officium vocare dignatus est, infundat benedictionem et gratiam suam, ut in conspectu suo fideliter servientes prædestinata sacris præmia consequantur, auxiliante Domino nostro Iesu Christo. Qui vivit et regnat.

31. *Et diaconus:* Oremus. Flectamus genua. Levate. *Benedictio subdiaconorum:*

DOMINE, sancte Pater, omnipotens æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos, quos in subdiaconatus officium vocare dignatus es, ut eos in sacrario tuo strenuos sollicitosque cælestis militiæ instituas excubitores, sanctisque altaribus tuis fideliter subministrent, et requiescat super eos spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et repleas eos spiritu timoris tui, et eos ministerio divino confirmes, ut obœdientes facto atque dicto parentes tuam gloriam consequantur. Per ... in unitate eiusdem.

32. *Tunc eis episcopus manipulos tradat, dicens singulis:*

Accipite manipulum, implete ministerium vestrum, potens est enim Deus, ut augeat vobis gratiam. Qui vivit³ et regnat, Deus.

33. *Ad induendam tunicam, dicit episcopus:*

Induat vos Dominus vestimento salutis, et indumento iustitiæ circum**/15/**det vos semper.

¹ *Orig. del.*

² *In rasura.*

³ *Ms. vivis.*

[ORDINATIO DIACONI ET SACERDOTIS]

34. Qua indutus, statim legat epistolam. Sequitur tractus, antequam legatur evangelium, vocentur, qui ordinandi sunt diaconi et sacerdotes ab archidiacono, ita dicente:

Accedant, qui ordinandi sunt diaconi et sacerdotes.

35. Deinde accedentes qui ordinandi sunt diaconi et sacerdotes cum testibus suis et titulis et stantibus cunctis coram episcopo, dicat archidiaconus:

Postulat sancta mater ecclesia, pater reverende, hos electos præsentés consecrari sibi in diacones et sacerdotes a vestra paternitate.

36. Interroget episcopus:

Scis illos esse dignos?

37. Respondit:¹

Quantum humana fragilitas nosse sinit, scio, et testificor ipsos esse dignos.

38. Et episcopus:

Auxiliante Domino Deo et Salvatore nostro Iesu Christo, eligimus in ordinem diaconii sive presbyteri[i] viros istos. Si quis autem habet aliquid contra eos aut propter Deum dimittat aut cum fiducia exeat et dicat. Verumtamen memor sit communionis suæ.

39. Tunc prostrato episcopo ante altare cum sacerdotibus et levitis ordinandis incipiat episcopus:

[1.] *Veni creator Spiritus,
mentes tuorum visita,
imple superna **15'** gratia,
quæ tu creasti pectora.*

[2.] *[Q]ui paraclitus diceris,
donum Dei altissimi,
fons vivus, ignis, caritas
et spiritalis unctio.*

[3.] *Tu septiformis munere,
dextræ Dei tu digitus,
tu rite promisso Patris,
sermone ditans guttura.*

[4.] *Accende lumen sensibus,
infunde amorem cordibus,
infirmi nostri corporis,
virtute firmans perpetim.*

[5.] *Hostem repellas longius,
pacemque donec nos protinus,
ductore sic te prævio,
vitemus omne noxium.*

[6.] *Da gaudiorum præmia,
da gratiarum munera,
dissolve litis vincula,
astringe pacis fœdera.*

¹ Sic.

[7.] *Per te sciamus da Patrem,
noscamus atque Filium,
te utriusque Spiritum,
credamus omni tempore.*

40. Quo finito incipiat cantor litaniam. Cumque cantas¹ ille versus, qui pro domino cantatur apostolico, dicat ipse episcopus hunc versum ter:

Ut electos istos benedicere, sanctificare et consecrare digneris, te rogamus, audi nos.

41. Finita litania, redeant sacerdotes electi ad loca sua, levitis remanentibus ad consecrandum, quibus se inclinantibus solus episcopus, qui eos benedicit manus super capita singulorum ponat, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecrantur. Et, hoc finito, loquatur hiis verbis:

COMMUNE votum, communis prosequatur oratio, ut hii totius ecclesiae prece, qui in diaconatus ministerio praeprantur, levitice benedictionis ordine clarescant, ut spiritali conversatione praefulgentes gratia sanctificationis eluceant. Praestante.

42. Sequitur praefatio consecrationis:

OREMUS, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, **N.**, quos ad officium diaconatus dignatus est assumere, benedictionis suae gratiam infundat, eisque donum consecrationis propitius **16'** indulgeat, per quod eos ad praemia aeterna perducat, auxiliante Domino nostro.

43. [Oratio:] Oremus. Flectamus genua. Levate.

EXAUDI, Domine, preces nostras, et super hos famulos tuos Spiritum benedictionis emitte, ut caelesti munere ditati et tuae gratiam possint maiestatis aquirere, et benivivendi aliis exemplum praebere. Per Dominum nostrum ... in unitate.

44. Praefatio: Per omnia saecula saeculorum. [R.] Amen. Dominus vobiscum. [R.] Et cum spiritu tuo. Sursum corda. [R.] Habemus ad Dominum usque aeternae Deus:

U²... omnipotens aeternae Deus, honorum dator, ordinum distributor, officiorumque dispositor, qui in te manens innovans omnia, et cuncta disponens per verbum virtutis sapientiamque tuam, Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, sempiterna providentia praeparas, et singulis, quibusque temporibus aptanda dispensas, cuius corpus ecclesiam, scilicet tuam caelestium gratiarum varietate distinctam, suorumque convexam membrorum per legem mirabilem totius compaginis unitam in augmentum templi tui crescere, dilatarique largiris, sacri muneris servituti tribus gradibus ministrorum nomini tuo militare constituens, electis ab initio Levi filii, qui in mysticis operationibus domus tuae fidelibus excubiis permanentes, hereditatem benedictionis aeternae **17'** sorte perpetua possiderent. Super hos quoque famulos tuos, quaesumus Domine placatus, intende, quos tuis sacris altaribus servituros

¹ Sic. Malim: cantat.

² Pro nexu initiali **U** scriptor codicis falso inseruit litteram A.

in officium diaconii suppliciter dedicamus, et nos quidem, tamquam homines divini sensus et summæ rationis ignari, horum vitam, quantum possimus, æstimamus. Te autem, Domine, ea quæ nobis sunt ignota, non transeunt, te occulta, non fallunt. Tu, cognitor [es]¹ sec[re]torum.² Tu scrutator es cordium. Tu eorum vitam cælesti poteris examinare iudicio, quo semper prævalet admissa purgare, et ea, quæ sunt agenda, concedere. Emitte in eos, quesumus Domine, Spiritum Sanctum, quo in operis mysterii fideliter exsequendi, septiformis gratiæ tuæ munere roborentur. Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentia puritas et spiritualis observantia disciplinæ. In moribus eorum præcepta tua fulgeant, ut suæ castitatis exemplo imitationem sanctam plebs acquirat, et bonum conscientia testimonium præferentes, in Christo firmi et stabiles perseverent, dignisque successibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereantur. Per eundem ... in unitate.

45. *Tunc ponat singulis super sinistrum humerum stolam, et dicat:* In nomine Patris et **177** Filii et Spiritus Sancti.

Accipite stolam iucunditatis, quam immaculatam perferatis ante tribunal Christi, et agnoscatis officium vestrum, atque impleatis illud, potens est enim Deus vobis augere gratiam.

46. *Sequitur benedictio:*

DOMINE sancte [Pater]³ spei, fidei, gratiæ, et profectuum remunerator, qui in cælestibus et terrenis angelorum ministeriis, ubique dispositis, per omnia elementa voluntatis tuæ diffundis effectum, hos quoque famulos tuos speciali dignare illustrare aspectu, ut tuis obsequiis expediti, sacris altaribus ministri puri accrescant, et indulgentia puriores, eo gradu, quo apostoli tui in septenario numero Beatum Stephanum ducem ac prævium Spiritu Sancto auctore elegerunt, digni assistant, et virtutibus universis, quibus tibi servire oportet, instructi, tibi complacent, gratia tua, Christe, Salvator noster. Qui cum Deo Patre in unitate eiusdem.

47. *Hic induat eos dalmatica, dicens:*

Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus es, in iustitia et in sanctitate veritatis. [R.] Amen.

48. *Tunc det illis episcopus textum evangeliorum, dicens:*

Accipite potestatem legendi evangelium in ecclesia Dei.

¹ *Orig. corr.*

² *Orig. corr.*

³ *Orig. add.*

49. Tunc legatur **/18r/** evangelium, lecto evangelio, antequam dicatur Dominus vobiscum, electi sacerdotes accedant ad consecrandum, dicens episcopus pronuntiando:

SIT vobis, quæsumus, fratres, communis oratio, ut hi, qui in adiutorium et utilitatem vestræ salutis eliguntur, presbiteratus benedictionem divini indulgentia muneris consequantur, ut Sancti Spiritus gratia sacerdotalia dona privilegio virtutum ne impares loco deprehendantur, obtineant. Per Dominum nostrum Iesum Christum ... qui cum Deo Patre.

50. Cum presbiteri¹ ordinantur, episcopus dicit:

Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, alleluia.

OREMUS, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad presbiterii munus elegit, cælestia dona multiplicet, et quod eius dignatione suscipiunt [ipsius]¹ consequantur auxilio. Per Dominum nostrum ... qui cum eo vivit.

51. [Oratio:] Oremus. Flectamus genua. Levate.

EXAUDI nos, quæsumus, Domine Deus noster, et super hos famulos tuos benedictionem Sancti Spiritus et gratiæ sacerdotalis effunde virtutem, ut quos tuæ pietatis aspectibus consecrandos offerimus, perpetuam muneris tui largitatem consequantur. Per Dominum nostrum.

52. Per omnia sæcula sæculorum. [R.] Amen. Dominus vobiscum. [R.] Et cum spiritu tuo. Sursum **/18v/** corda. [R.] Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. [R.] Dignum et iustum est. *Præfatio:*

UET iustum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte Pater, omnipotens æterne Deus. Honorum dator et distributor omnium dignitatum, per quem proficiunt universa, per quem cuncta firmantur, amplificatis semper in melius naturæ rationalis incrementis, per ordinem congrua ratione dispositum. Unde et sacerdotales gradus atque officia levitarum sacramentis mysticis instituta creverunt, ut cum pontifices summos regendis populis præfecisses ad eorum societatis et operis adiumentum sequentis ordinis viros et secundæ dignitatis eligeres. Sic in eremo per septuaginta virorum prudentium mentes Moysi Spiritum propagasti, quibus ille adiutoribus usus in populo in numeras multitudines facile gubernabat. Sicque in Eleazaro et Ytamar, filios Aaron, paternæ plenitudinis abundantiam transfudisti, ut hostias salutes et frequentioris officii sacramenta ministerium sufficere² sacerdotum hac providentia, Domine, apostolis Filii tui doctores fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis prædicatoribus impleverunt. **/19v/** Quapropter infirmitati quoque nostræ, Domine, quæsumus, hic adiumenta largire, qui quanto fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus.

¹ *Orig. add.*

² *Orig. del.*

53. Oratio:

DA quæsumus, omnipotens Pater in hos famulos tuos presbiterii dignitatem, [et]¹ innova in visceribus eorum spiritum veritatis et sanctitatis, ut acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineant, censuramque morum exemplo suæ conversationis insinuent. Sint providi cooperatores ordinis nostri, eluceat in eis totius forma iustitiæ, ut bonam rationem dispensationis sibi credite reddituri, æternæ beatitudinis præmia consequantur. Per eundem Dominum nostrum ... in unitate eiusdem.

54. Hic reflectat episcopus stolam super humerum eorum dextrum, dicens super singulos:

Accipite iugum Domini Dei dicentis: iugum meum suave est, et onus meum leve.

55. Hic vestiat eos casula ad unumquemque dicens:

IN nomine Sanctæ Trinitatis accipite vestem sacerdotalem, per quam caritas intelligitur, potens est enim Deus, ut augeat vobis caritatem et opus perfectum. Qui.

56. Sequitur consecratio communis:

DEUS, sanctificationum omnium auctor, cuius vera consecratio, cuius vera est benedictio, tu Domine, super hos famulos tuos, quos ad presbyterii honorem dedicamus, munus tuæ benedictionis effunde, ut gravitate actuum et censura vivendi præbeant **119'** se esse seniores, his instructi disciplinis, quas Tito et Timoteo Paulus exposuit, ut in lege tua die ac nocte meditantes, quod legerint, credant, quod crediderint, doceant, quod docuerint, imitentur. Iustitiam constantiam, misericordiam, fortitudinem, ceterasque virtutes in se ostendant, exemplo probent, admonitione confirmant, ut purum atque immaculatum ministerii sui donum custodiant, et per obsequium plebis tuæ panem et vinum in corpus et sanguinem Filii tui immaculata benedictione transformant, et inviolabili caritate in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi in die iusti et æterni iudicii conscientia pura fide perfecta Spiritu Sancto pleni persolvant. Per ... in unitate eiusdem.

57. Expleta autem oratione det episcopus ad manus, cuiuslibet sacerdotis candelam ardentem, et ipse episcopus incipiat responsoria, stola² prosequente:

Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris, et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, 120' quando revertatur a nuptiis. **V.** *Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos similes hominibus.*

58. Sine Gloria Patri. Et post hæc accipiens episcopus oleum sanctum, faciat crucem super ambas manus presbyterorum consecrandorum, dicens singulis:

CONSECRETUR manus istæ, quæsumus, Domine, et sanctificentur per istam unctionem, ut quæcumque benedixerint, benedicta sint, et quæcumque sanctifica-

¹ *Orig. add.*

² *Sic.*

verint, sanctificentur. [R.] Amen.

59. Schola tamen cantet interim versiculum istum ter:

[I]nfunde unctionem tuam clemens nostris sensibus.

60. Et post istum versum continue cantetur responsorium.

Veni, Spiritus alme, tuorum corda fidelium reple, et accende in eis ignem tui amoris, qui gentes in unital²⁰ te fidei per diversitatem linguarum cunctarum congregasti, alleluia. Nunc nobis auge tua munera, Spiritus alme. Qui gentes.

61. Postea vero accipiat episcopus calicem vino et patena ac oblata, et det illis, dicens per singulos:

Accipite potestatem offerendi sacrificium Deo, missamque cælebrare tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini nostri Iesu Christi. [R.] Amen.

62. Postea dicat episcopus Dominus vobiscum et Oremus, et cantetur offertorium, et tota missa, ubique dum veniat ad benedictionem dandam, dicat tunc diaconus:

Humiliate vos ad benedictionem.

63. Et chorus respondeat:

Deo gratias.

64. Sequitur benedictio:

OMNIPOTENS Deus sua vos benedicat clementia, et sensum in vos sapientiæ salutaris infundat. [R.] Amen.

Catholicæ fidei documentis vos enutriet,¹ et in sanctis operibus perseverabiles reddat. [R.] Amen.

Gressus vestros ab errore convertat, et viam vobis pacis et caritatis h̄ostendat². [R.] Amen.

Quod ipse præstare dignetur, cuius regnum et imperium sine fine permanet /21'/ in sæcula sæculorum. [R.] Amen.

Et benedictio Dei Patris omnipotentis et Filii et Spiritus Sancti descendat [super vos et maneat]³ semper.

65. Data pace cantetur communio et detur pax et communicent presbyteri^ϕ de novo ordinati. Et antequam dicatur collecta, ponat episcopus manum super capi[ta] singulorum, dicens:

Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, et quorum retinueritis, retenta sint.

¹ *Orig. corr. de emittat, -at in rasura.*

² *Orig. del.*

³ *Orig corr.*

66. Tunc submittat episcopus uniuscuiusque casulas osculans eos et dicens:

Pax Domini sit semper vobiscum.

67. Et per manus commendet se orationibus eorum, sequitur communis benedictio super omnes:

BENEDICTIO Dei Patris omnipotentis et Filii et Spiritus Sancti descendat super vos et maneat [semper]¹, ut sitis benedicti in ordine sacerdotali, et offeratis placabiles hostias pro peccatis atque of[f]ensionibus populi omnipotenti Deo, cui est honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. [R.] Amen.

¹ *In margine.*

VI. Incipit ordo ad vocandum seu ad examinandum vel consecrandum episcopum electum

1. Sabbati die, circa vesperam sedente domino apostolico vel metropolitano in ecclesia vel in atrio iux[t]a ecclesiam, venit archiepiscopus vel duo archidiaconi induti casulis cum clericis illius ecclesiæ, cuius episcopus consecrandus est, et flectentes genua ante apostolicum vel metropolitanum petant benedictionem, dicentes:

Iube, domne, **¶** benedicere.

2. Respondet apostolicus:

Deus misereatur nostri, et benedicat nobis.

3. Archipresbyter autem surgens procedit pa[l]lulum, et iterum petit benedictionem, genua flectens:

Iube, domne, benedicere.

4. Respondet, dicens:

Illuminet Dominus vultum suum super nos, et misereatur nobis.

5. Tertia vero vice simili modo petunt benedictionem, dicentes:

Iube, domne, benedicere.

6. Respondet, dicens:

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.

7. *Benedictione completa, interrogat eos dominus apostolicus:*

[O]mnia recte, quid vos fatigastis, fratres? *R.* Et Deus et Dominus noster concedat vobis¹ pastorem.

8. *Interrogat:*

Habetis vestrum? *R.* Habemus.

9. *Interrogat:*

Est de ipsa ecclesia an de alia? *R.* De ipsa. *Vel, si de alia:* Alia.

10. *Interrogat:*

Quo honore fungitur? *R.* Presbyteratus.

11. *Interrogat:*

Quot annos habet in presbyteratu? *R.* Decem.

12. *Interrogat:*

Habuit coniugium? *R.* Minime.

13. *Interrogat:*

Disposuit domui suæ? *R.* Disposuit.

14. *Interrogat:*

Quid vobis placuit in ipso? *R.* Sanctitas, castitas, humilitas, benignitas, et alia, quæ Deo placabilia sunt.

15. *Interrogat:*

Habetis decretum? *R.* Habemus.

16. *Apostolicus dicit:*

Legatur.

17. *Tunc profertur decretum, et legitur hoc modo:*

Beatissimo *N.* archiepiscopo Strigoniensi, clerus et populus ecclesiæ Vespremiensis, totius devoti/22'/onis famulatum, credimus non latere archiepiscopatus vestri celsitudinem, quod nostra ecclesia suo sit viduata pastore, ac propter hoc solatio proprii sit destituta pastoribus. Quapropter ne pastore absente grex dominicus perfidorum luporum morsibus pateretur, et ne improbi raptoris fieret preda, communi voto atque consensu eligimus nobis in pontificem presbyterum nostræ ecclesiæ, virum utique

¹ *Sic, malim:* Ut ... nobis.

prudentem, hospitem, ornatum moribus castum, sobrium et mansuetum, Deo et hospitibus placentem. Quem ad vestri episcopatus dignitatem ducere curavimus unanimiter postulantes et obsecrantes auram maiestate nobis illum ordinari pontificem, quatenus auctore Domino nobis velut idoneus pastor præsesse valeat, et prodesse, nosque sub sacro eius regimine Domino semper militare possimus, ut autem omnium nostrum vota in hac electionem convenire noscatis, huic canonico decreto propriis manibus roborando subscripsimus. Ego *ille* subscripsi. Ego *illi* subscripsi.

18. *Hoc lecto prosequitur apostolicus:*

Videte, ne aliquam vobis promissionem fecerit, quia simoniacum est et contra canones. *R.* Absit.

19. *Et dicit:*

Vucatur.¹

20. *Tunc venit ipse electus planeta indutus et flectens genua benedictionem petit, dicens:*

Iube, domne, benedicere.

21. *Respondet apostolicus: /22'*

Spiritus Sancti gratia illuminare dignetur corda vestra.

22. *Et electus procedens paululor², iterum flexu³ genu, dicit:*

Iube, domne, benedicere.

23. *Respondet apostolicus:*

Ignem sui amoris accendat Deus in cordibus vestris.

24. *Tertia vice similiter dicit:*

Iube, domne, benedicere. *R.* [D]ominus custodiat introitum tuum et exitum tuum.

25. *¶R/Tunc interrogat eum domnus episcopus:*

Omnia recte, quid te fatigasti, frater? *R.* Quod dignus ego non fui, mei confratres elegerunt me sibi præsesse pastorem.

26. *Interrogat:*

De ipsa ecclesia es, an de alia? *R.* De ipsa.

¹ *Sic, malim:* Ducatur.

² *Sic, malim:* paululum.

³ *Sic, malim:* flexo.

27. Interrogat:

Quo ordine fungeris? R. Presbyteratus.

28. Interrogat:

Quot annos habes in presbyteratu? R. Decem.

29. Interrogat:

Habuisti coniugium?

30. Respondit:

Minime.

31. Interrogat:

Disposuisti domui tuæ? R. Disposui.

32. Interrogat:

Qui libri leguntur in ecclesia tua? R. Epitaticus,¹ prophetarum. Evangelium. Apocalypsis. Epistolæ Pauli et reliqua.

33. Interrogat:

Nosti canones? R. Doce me, domne.

34. Et apostolicus dicit:

Vide ordinationes, si feceris, ut certis temporibus facias, id est primi, quarti, septimi et decimi mensis. Bimagos autem curiales de servili conditione ad² sacros ordines non promoveas. S³simoniaca³ vero hæresii, te omnino custodias. Tamen dabitur tibi edictum de scrinio nostro, qualiter debeas con/23/versari. Vide tamen, ne aliquam promissionem pro hac causa feceris, quia simoniacum est et contra canones. R. Absit.

35. Et dicit apostolicus:

Tu videris. Quia e[r]go⁴ omnium in te vota conveniunt, hodie abstinebis, et cras annuente consecraberis. R. Præcepisti.

36. Tunc discedunt singuli in loca sua et electus cum gaudio spirituali secundum mandatum vel consilium archiepiscopi cum omni sobrietate reficiatur, aptumque se mysteri[i]s suscipiende consecrationis fideliter studeat exhibere. Dominica vero die progreditur dominus apostolicus cum electo octo clero-

¹ Sic, *malim*: Pentateuchus.

² *Orig. corr. de aut.*

³ *Orig. corr. de symonica.*

⁴ *Orig. add.*

que et populo ad ecclesiam, ubi ipsam fieri vult ordinationem. Et ingressus sacrarium induit se vestimento pontificali, post pusillum procedit de sacrario cum diaconibus et reliquis ministris, sicut dominicis diebus mos est procedendi. Et electos sacris vestibus indutus procedit simul cum eo et ceteris episcopis e sacrario ante altare. Factoque conventu, examinatio talis fiat:

Antiqua sanctorum patrum institutio docet et præcipit, ut his, qui ad ordinem episcopatus eligitur, maxime ut legimus in canone Carthaginensi, antea diligentissime examinetur cum omni caritate de fide Sanctæ Trinitatis, et interrogetur de diversis causis vel moribus, quæ huic regi/**23'**/mini congruunt, et necessaria sunt secundum apostoli dictum: « manus nemini cito apposueritis », et ut etiam his, qui est ordinandus, antea erudiat, qualiter sub hoc regimine constitutum oporteat conversari in ecclesia Dei, ut inexcusabiles sint, qui ei manus ordinationis imponunt, eademque auctoritate¹ et præcepto interrogamus te, diligentissime super caritate sincera, si omnem prudentiam tuam, quantum tua capax est natura, divinæ scripturæ sensibus accommodare volueris.

37. Respondet episcopus:

Ita ex toto corde volo in omnibus obedire et consentire.

38. Interrogat

Vis ea [et]² ex divinis scripturis intelligis plebem, cui ordinandus es, et verbis docere et exemplis?

39. Responsio:

Volo.

40. Interrogat:

Vis traditiones orthodoxorum patrum ac decretales sanctæ et apostolicæ sedis constitutiones veneranter suscipere, docere atque servare?

41. Responsio:

Volo.

42. Interrogat:

Vis mores tuos ab omni malo temperare, et quantum poteris, Domino adiuvente, ad omne bonum commutare? R. Volo.

43. Interrogat:

Vis castitatem et sobrietatem cum Dei auxilio custodire et docere?

¹ Coni. Ms. auciante.

² Orig. add.

44. *Responsio:*

Volo.

45. *Interrogat:*

Vis semper in divinis rebus et negoti[i]s mancipatus, et a terrenis negotiis vel lucris turpibus alienus, quantum te humana fragili/~~24~~/tas consentiat posse?

46. *Responsio:*

Volo.

47. *Interrogat:*

Vis humilitatem et patientiam in temetipso custodire et alios docere? *R.* Volo.

48. *Interrogat:*

Vis sanctæ *N.* ecclesiæ mihi et successoribus nostris obediens esse et subditus?

49. *Responsio:*

Volo.

50. *Interrogat:*

Vis mihi et ecclesæ meæ professionem facere, sicut tui antecessores fecerunt?

51. *Responsio:*

Volo, et paratus sum in omnibus obœdire.

52. *Interrogat:*

Vis pauperibus et peregrinis, omnibusque indigentibus esse propter nomen Domini affabilis et misericors?

53. *Responsio:*

Volo.

54. *Et benedicat ei:*

Hæc omnia et cetera bona tribuat tibi Dominus, et custodiat te, atque corroboret in omni bono.

55. *Respondeant omnes astantes:*

Amen.

56. Interrogat:

Credis secundum intelligentiam tuam et capacitatem sensus tui Sanctam Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum omnipotentem, totamque in trinitate, deitatem coessentialem et consubstantialem, coæternam et coomnipotentem, uniusque voluntatis, potestatis et maiestatis, et creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, quæ sunt in cælo et in terra, visibilia et invisibilia, corporalia et spiritualia? **R.** Assentio et ita credo.

57. Interrogat:

Credis singulam quamque in Sancta Trinitate personam, unum Deum verum, plenum atque perfectum? **R.** Credo.

58. Interrogat:

Credis **/24'** ipsum Filium Dei, Verbum Dei, æternaliter natum de Patre, consubstantialem, coomnipotentem, et æqualem per omnia Patri in divinitate, temporaliter natum de Spiritu Sancto et Maria Virgine cum anima rationali, duas habentem nativitates: unam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem, Deum verum et hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum nec phantas[ma]ticum,¹ unicum Filium Dei in duabus naturis, sed [in]² unius personæ singularitate, impassibilem et immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis et pro nostra salute passum vera carnis passione, et sepultum, ac resurgentem a mortuis tertia die vera carnis resurrectione, die quadragesima post resurrectionem cum carne qua surrexit et anima ascendisse in cælum et sedere ad dexteram Patris, inde venturum iudicare vivos et mortuos, et redditurum unicuique secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala? **R.** Assentio et per omnia credo.

59. Interrogat:

Credis etiam Spiritum Sanctum plenum et perfectum verumque Deum, a Patre et Filio proce[de]ntem,³ coæqualem, coessentialem, coomnipotentem et coæternum per omnia Patri et Filio? **R.** Credo.

60. Interrogat:

Credis hanc Sanctam Trinitatem, non tres deos, sed unum Deum omnipotentem, æternum, invisibi**/25'**lem et incommutabile[m]?⁴ **R.** Credo.

¹ *Orig. add.*² *Orig. add.*³ *Orig. add.*⁴ *Orig. add.*

61. Interrogat:

Credis sanctam catholicam et apostolicam unam esse veram ecclesiam, in qua unum datur baptisma et vera omnium remissio peccatorum? **R.** Credo.

62. Interrogat:

Anathematizas etiam omnem hæresim extollentem se adversus hanc sanctam ecclesiam catholicam? **R.** Anathomatizo.¹

63. Interrogat:

Credis et veram resurrectionem eiusdem carnis, quam nunc gestas et vitam æternam? **R.** Credo.

64. Interrogat:

Credis et novi et veteris testamenti, legis prophetarum et apostolorum unum esse auctorem Deum et Dominum omnipotentem? **R.** Credo.

65. Dicatque ei:

Hæc tibi fides augeatur a Domino ad veram et æternam beatitudinem, dilectissime frater in Christo.

66. Et omnes respondeant:

Amen.

67. Ita igitur examinatus et bene instructus cum consensu clericorum et aliquorum, ac conventu totius provinciæ episcoporum,² in nomine Domini ordinetur. De officio episcopi:

Episcopum oportet iudicare, interpretare, consecrare, consummare, ordinare, offerre et baptizare.

68. Facto itaque scrutinio, dominus apostolicus mox, ut vult, indicat cantori, et mox incipit antiphonam ad in adiutorium³ et cetera ex more. Sequitur oratio:

ADESTO supplicationibus nostris, omnipotens Deus, et quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio **/25/** tuæ virtutis impleatur effectus.

¹ *Sic, malim:* anathematizo.

² *Sic, malim:* episcoporum.

³ *Sic, malim:* ad introitum.

69. Et cetera ex more cantentur usque ad repetitionem alleluiae vel ad ultimum versum tractus. Interim hæc dum fiunt, egrediatur archidiaconus cum acolythis et subdiaconibus, et induat ipsum electum dalmatica planeta. Et duo episcopi casulis induti deducant eum superius ante altare, et convertens se, apostolicus ad circumstantem¹ dicit hanc orationem:

OREMUS dilectissimi nobis, ut huic viro utilitati ecclesiae providens benignitas omnipotentis Dei gratiae suae tribuat largitatem.

70. Et statim incipit Kyrie eleison cum litania. Et prosternit se ordinato[r] simul cum electo et ceteris episcopis ante altare super stramenta, usquedum dicit schola Agnus Dei. Et autem surrexerint duo episcopi, ponunt et tenent evangeliorum codicem super cervicem eius et inter scapulas clausum, et uno super eum fundente benedictionem, reliqui episcopi, qui assunt, manibus suis caput eius tangunt, et dicit ordinator:

PROPITIARE, Domine, supplicationibus nostris, et inclinato super hunc famulum tuum, **N.**, cornu gratiae sacerdotalis benedictionis tuae in eum infunde virtutem. Per Dominum nostrum.

71. In modum praefationis: Per omnia saecula saeculorum. [R.] Amen. Dominus vobiscum. [R.] Et cum spiritu tuo. Sursum corda. [R.] Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. [R.] Dignum et iustum est.

UET iustum est, æquum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens æterne Deus. Bonorum omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ famulantur ordinibus. Deus, qui Moysen famulum tuum secreti familiaris affatu, inter cetera cælestis documenta culturæ de habitu quoque indumenti sacerdotalis insituens, electum Aaron mystico amictu vestiri inter sacra iussisti, ut intelligentiæ sensum de exemplis priorum caperet ventura posteritas, ne erudicio doctrinæ tuæ ulli deesset ætati, cum apud nos certiora essent perimenta rerum, quam enigmata figurarum. Illius namque sacerdotii anterioris habitus nostræ mentis ornatus est, et pontificalem gloriam non iam nobis honor commendat vestium, sed splendor animarum. Quia et illa, quæ tunc carnalibus blandiebantur optatibus, ea potius, quæ in ipsis erant intelligenda, poscebant. Et id circo hui[c]² famulo tuo, quem ad summi sacerdotii ministerium elegisti, hanc, quæsumus, Domine, gratiam largiaris, ut quicquid illa velamina in fulgore auri in nitore gemmarum et in **126'** multimodi operis varietate signabant, hoc in eius moribus actibusque clarescat. Comple in sacerdote tuo mysterii tui summam, et ornamentis totius glorificationis instructum cælestis unguenti rore sanctifica.

72. Hic mittat chrisma in caput eius, dicens demissa voce:

Unguatur et consecretur caput tuum cælesti benedictione in ordine pontificali in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Pax tibi. [R.] Et cum spiritu tuo.

¹ Sic, malim: circumstantes.

² Orig. add.

73. Metropolitanus autem finiat præfationem suam alta voce:

HOC, Domine, copiose in eius caput influat, hoc in oris subiecta decurrat, hoc in totius corporis extrema descendat, ut tui Spiritus virtus et interiora eius repleat, et exteriora circumtegat, abundet in eo constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis, sicut speciosi muneræ tuo pedes eius ad evangelizandum bona tua. Da ei, Domine, ministerium reconciliationis in verbo et in factis, in virtute signorum et prodigiorum. Sit sermo eius et prædicatio non in persu[asi]bilibus¹ humanæ sapientiæ verbi, sed in ostensione spiritus virtutis. Da ei, Domine, claves regni cælorum, ut utatur et non gloriatur potestate, quam tribuis in ædificationem, non in destructionem. Quodcumque ligaverit super terram, sit ligatum et in cælis, et quodcumque **/27'** solver[it]² super terram, sit solutum et in cælis. Quorum detinuerit peccata, detenta sint, et quorum dimiserit, dimissa sint. Qui benedixerit ei, sit benedictus, et qui maledixerit ei, maledictionibus repleatur. Sit fidelis servus et prudens, quem constituas tu, Domine, super familiam tuam, ut det illis cibum in temp[or]e opportuno, et exhibeat omnem hominem perperfectum. Sit sol[l]icitudine³ impiger, sit spiritu fervens. Odiat superbiam, humilitatem diligit, nec eam umquam deserat, aut laudibus aut timore superatus. Non ponat lucem tenebras, nec tenebras lucem. Non dicat malum bonum, nec bonum malum. Sit sapientibus et insipientibus debitor, ut fructum de profectu omnium consequatur. Tribuas ei, Domine, cathedram episcopalem, ad regendam ecclesiam tuam et plebem universam. Sis ei auctoritas, sis ei potestas, sis ei firmitas, multiples super eum benedictionem et gratiam tuam, ut exorandam semper misericordiam tuam tuo munere idoneus, tua gratia possit esse devotus.

74. Completa benedictione, metropolitanus confirmet manum novi episcopi et pollicem, et consecrat eum cum chrismate, dicens:

DEUS, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te ad pontificatus voluit sublimare dig**/27'**nitatem, ipse enim chrismate et mystice delibutionis [liquore]⁴ perfundat, et specialis benedictionis ubertate fecundet, ut quicquid benedixeris, benedicatur, et quicquid sanctificaveris, sanctificetur, et consecratæ manus tuæ vel pol[l]icis impositio cunctis proficiat ad salutem. Per Dominum.

75. Tunc datur baculus novo episcopo per ordinatorem, dicitur:

Accipe baculum pastoralis officii, et sis in corrigendis vitiis pie sæviens, iudicium sine ira tenens, infovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate severitatis censuram non deserens.

¹ *In rasura.*² *In rasura.*³ *Orig. add.*⁴ *In rasura.*

76. *Cum autem datur anulus, dicat ordinator:*

Accipe anulum fidei, scilicet signaculum, quatenus sponsam Dei sanctam videlicet ecclesiam intemerata fide ornatus illibate custodias.

77. *Post hæc det ei metropolitanus librum evangeliorum, dicens:*

Accipe evangelium, et vade, prædica populo tibi commisso, potens est [enim]¹ Deus, ut augeat tibi gratiam.

78. *Tunc electus dat osculum pontifici et diaconibus omnibus, et tenens eum archidiaconus, deportat eum in presbyterium, et dat osculum episcopis et presbyteris, et tunc canitur repetitio alleluia, vel ultimus versus tractus, demum canitur evangelium.*

79. *Secreta:*

SUSCIPE, Domine, munera, quæ tibi offerimus pro famulo tuo illo, ut propitius /28'/ in eodem tua dona custodias. Per Dominum nostrum.

80.

HANC igitur oblationem servitutis nostræ sed et cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus, et pro famulo tuo, quem ad episcopatus ordinem promovere dignatus es, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, et propitius in eo tua dona custodias, ut quod divino munere consecutus est, divinis affectibus exsequatur² <dies nostros.³

81. *Cum autem venerit ad communicandum domnus pontifex, porrigat ei sacram oblationem integram, suscipiensque eam episcopus ipse ex ea communicet super altare. Quod vero residuum fuerit, sibi reservet denuo ad communicandum cottidie usque quadraginta dies expletas. Et postmodum iussus a domno pontifice, communicet populum cum ceteris episcopis.*

82. *Postcommunio:*

PLENUM, quæsumus, Domine, in nobis remedium tuæ miserationis operare, et tales nos esse, perface propitius, et sic foveri, ut tibi in omnibus placere valeamus. Per.

83. *Et dictum episcopo det pontifex, cum benedictione:*

DILECTO nobis fratri¹, illo episcopo, quem, ut credimus, divino te nutu vocante clerus et populus civitatis illius, unanimiter elegerunt rectorem, et ad nos, usque perducentes proiicerunt consecrari episcopum, et, sicut Deo annuente, per manus nostræ impositionem episcopus consecratus est, amo/28'/do, frater carissime, scias te maximum pondus suscepisse laboris, quod est sarcina regiminis animarum, et commodis deservire multorum, omniumque fieri minimum atque ministrum et pro credito tibi talento in die divini examinis rationem redditurum. Nam si Salvator noster

¹ *Orig. add.*

² *Orig. corr. de exsequamur.*

³ *Orig. del.*

dixit: non veni ministrari, sed ministrare, et animam suam posuit pro ovibus suis, quanto magis nos desidiosi servi summi Patris familias debemus maximo sudore incumbere oves dominicas a summo pastore consignatas ad ovile dominicum, suffragante divina gratia, absque morbo vel macula perducere. Exortamur itaque dilectionem tuam, ut fidem, quam in exordio tuæ consecrationis breviter lucideque digessimus, illibatam et inviolabilem custodias, quia fides est omnium fundamentum virtutum. Scimus autem, quod ab infantia sacris lit[t]eris eruditus, et canonum institutis edoctus, et tamen breviter ad te noster dirigendus est sermo.

Ordinationes ergo si quas feceris secundum canones atque apostolicam ecclesiam aptis temporalibus fac, id est mensis primi et quarti et septimi et decimi, vide, ut cito nemini manus imponas, ne communices peccatis alienis. Bigamos aut curiales aut servum, cuiuslibet ad sacrum ordi/29/nem nequaquam promoveas, necne ad prohibitum, nec seundum apostoli sententiam elatus in laqueum vel voraginem incidas diaboli. Sed eos in sacrosancta ecclesia ordinare stude, qui ætatem habent maturitatis, et apud Deum et homines fideliter vixerint, et deinceps vivere studeant. Et hoc cavendum est tibi, quasique venenum pestiferum reiiciendum, ne avaritia surripiat cor tuum, ut per quodlibet munus acceptum manus impositionem alicui tribuas, et per simoniacam hæresim, quam Salvator noster omnimodis detestatur, in præceptis ruas. Memento, quia gratis accepisti, gratis et da. Secundum enim vatis alloquium, qui eiicit avaritiam, et excutit manus suas ab omni munere, hic in excelsis habitabit, et munimenta saxorum sublimitas eius. Panis ei datus est, aquæ ipsius fidelibus sunt, regem in decore videbunt oculi eius. Semetipsum mitem castumque custodi, in habitaculum tuum aut raro aut numquam mulieris sit ingressus, omnes puellas aut virgines Christi aut æquanimiter dilige. Nec de præterita castitate confidas, quia nec Salomone sapientior, nec Samsone fortior esse poteris. Quando autem ab animarum lucrum visitationis causa in collegium vel infra septa in/29/gressus fueris ancillarum Dei non solus introeas, sed tecum adhibe tales socios de quorum contubernio ne diffamaveris, quia oportet episcopum irreprehensibilem esse, et testimonium habere bonum ad omnes, ut ne quis ex eo scandalum sumat. Scandalizanti, videlicet unum de pusillis, scimus, quanta animadversio comparetur.

Prædicationi i[n]sta, verbum Dei plebi tuæ tibi commissæ affluenter melliflueque atque distincte, in quantum rore cælesti perfusus fueris, prædicare non desinas. Scripturas divinas saepius lege, immo si fieri potest lectio sancta in manibus tuis maxime, quam in pectore semper inhærat. Ipsam vero lectionem oratio interrumpat. Ad vicem namque speculi anima tua in ipsam sedule respiciat, ut vel quæ incorrecta sunt, corrigat, vel quæ pulchra, amplius exornet. Disce, quod sapienter doceas eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut possis exhortari in doctrina sana, et contradicentes revincere, permane in his, quæ didicisti, et credita sint tibi eloquia divine dispensationis, paratus semper esto ad satisfactionem, ne confundant opera tua sermonem tuum, ne, cum in ecclesia loqueris tacitus, quilibet respondeat: « Cum¹ ergo

¹ Sic, malim: Cur.

ipse non facis, quod iubetur? Recognosce, magister, qui **/30'** turgidum ventrem ferre videris, me de ieiuniis prædicas? »

Furta atque periuria possunt etiam detestari latrones et avaritiam cupidi. Vita, scilicet tua irrepræhensibilis fiat. In ipsa filii tui regulam sumant, in ipsa, quicquid minus correctum fuerit, corrigant, ex ipsa videant, quod diligant, cernent, quod imitari festinent, ut ad exemplum tuum omnes fidei studio vivere compellantur. Sit erga subiectos tuos sollicitudo laudabilis, exhibeatur cum mansuetudine disciplina, cum discretione correctio. Iram benignitas mitiget, benignitatem zelus exacuet, et ita alterum ex altero condatur, ut nec immoderata ultio ultra, quaque¹ oportet, affligat, nec iterum frangat rectorem disciplinæ remissio. Itaque boni te dulcem, pravi asperum sentiant correctorem. In qua videlicet correctione hunc esse ordinem noveris observandum, ut personam diligas, et vitia persequaris, ne si aliter fortasse volueris, transeat in credulitatem² correctio, et perdas per [ir]remissam iram, quod emendare per discretionem debueras. Sic enim vulnera te convenit abscidere, ut non possis ulcerare, quod sanum esse videtur, ne, si plus, quam res exegerit, ferrum incisionis impresseris, noceas, cui prodesse festinas.

Nec dicimus, ut in te **/30'** delinquentibus non te ostendas ultorem, et vitia nutrire permittas. Sed hortamur, ut in iudicio semper veritas misceatur, ut possis cum propheta fiducialiter dicere: « Misericordiam et iudicium cantabo tibi Deo », ut [sit] in te pastoris pietas amabilemque dulcedo, et secundum canonum regulas severa distinctio, videlicet [innocenter] viventes leniter foveas, et inquietos perfidosque feriendo a pravitate compescas. Nullius faciem in iudicio aspicias, ut nec divitem potentia sua apud te extollere possit, nec pauperem propter paupertatem humilitatemque ipsius exasperatio tua de re, quam suggeret, humiliorem reddat. Substantiam ecclesiæ, quam ad dispensandum suscipis fideliter, atque discrete erogare non dissimiles, scias te alienum esse dispensatorem, ut in te dominicum appellatur eloquium, dicens: « Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore. » Hospitalitatem sectare. Misericordiam, prout vires suppetunt, pauperibus te exhibere, quia, qui obdurat aurem ad clamorem eorum, ut non exaudiat, ipse clamabit et non exaudietur. Viduæ, orphani pusillique te benignissimum pastorem atque tutorem se habere congaudeant. Oppressis defensio tua subveni**/31'**at. Illis aurem,³ qui opprimunt, vigor tuus efficaciter contradicat, et ita cuncta, Deo adiuvante, præmunias, ut lupus sæviens sequacesve illius adhuc in carne vitam agentes huc illucque debacchantes et animas innocentium laniare cupientes in ovile dominicum ingrediendi ad perdendas animas locum non habeant. Nullus te favor extollat, nulla adversitas atterat, id est, ut nec in prosperis cor tuum elevetur,⁴ nec in adversis in aliquo de[i]iciatur, sed omnia in omnibus caute et cum discretione agere te volumus, ut absque repprehensione in omnibus vivere comproberis. Sancta Trinitas fraternitatem tuam sua protectione incolumem custodiat, ut dum tali moderamine in Deo nostro onus suscepis-

¹ Sic, malim: quam.

² Sic, malim: crudelitatem.

³ Sic, malim: autem.

⁴ Sic, malim: elevatur.

ti, in die æternæ retributionis, eo dicente, audire merearis: « Euge serve bone et fidelis, quia <in>¹ super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. »

¹ *Orig. del.*

VII. Ordo ad consecrandum locum ecclesiæ

CANON DE ÆDIFICANDA ECCLESIA

1. Nemo ecclesiam ædificet, antequam civitatis episcopus illuc veniat, et ibidem crucem figat publice, et ante præfinit, qui ædificare vult, quod ad luminaria et ad custodiam et stipendia custodum et ad **/317/** suppletionem necessitatum presbiteri, dotemque ecclesiæ, sufficiat atque pertineat, et facta donatione sic domum ædificet. Et episcopus veniens ad locum ecclesiæ consecrandum, primo benedicat aquam in hæc verba:

EXORCIZO te, creatura salis per Deum vivum, per Deum verum, per Deum sanctum, per Deum, qui te [per] Elisæum prophetam in aquam mitti iussit, ut sanaretur sterilitas aquæ, et efficiaris sal exorcizat[um]² in salutem credentium, ut sis omnibus sanitas animæ et corporis, et effugiat atque discedat ab eo loco, quo aspersu[m]³ fueris, omnis phantasia et nequitia vel versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus, adiuratus. Per eum, qui venturus est iudicare vivos et mortuos et sæculum per ignem. [R.] Amen.

2. Oratio:

IMMENSAM clementiam tuam, omnipotens Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam salis, quam in usum humani generis tribuisti, benedicere et sanctificare tua pietate digneris, ut sit omnibus sumentibus salus mentis et corporis, et quicquid ex eo [t]actum⁴ vel aspersum fuerit, careat omni immunditia omnique impugnatione spiritalis nequitiae. Per Christum.

3. Oratio:

EXORCIZO te, creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis et in nomine Iesu Christi, Filii eius, Domini **/327/** nostri et in virtute Spiritus Sancti, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, et ipsum inimicum eradicare et explantare valeas cum angelis suis apostaticis, per virtutem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare vivos et mortuos et sæculum per ignem. [R.] Amen.

² *Orig. add.*

³ *Orig. corr. de aspersus (?)*.

⁴ *Orig. add.*

4. Oratio:

DEUS, qui ad salutem humani generis maxima quæque sacramenta in aquarum substantia condidisti, adesto propitius invocationibus nostris, et elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem tuæ benedictionis infunde, ut creatura mysterii tui tibi serviens ad abiciendos dæmones morbosque pellendos divinæ gratiæ sumat effectum, ut quicquid in domibus vel in locis fidelium hæc unda respenderit,¹ careat immunditia, liberetur a noxa. Non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens, discedant omnes insidiæ latentis inimici, et si quid est quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione huius aquæ effugiat, ut² salubritas per invocationem tui nominis expetita ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per.

5. Commisceatur sal in aqua.

FIAT commixtio salis et aquæ pariter in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. /32v/ Deus, invictæ virtutis auctor, et inseparabilis imperii rex, ac semper magnificus triumphator, qui adversæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis sævitiam superas, qui hostiles nequitas potenter expugnas. Te, Domine, trementes ac supplices deprecamur ac petimus, ut hanc creaturam salis et aquæ dignanter accipias, benignus illustres, pietatis tuæ more sanctifices, ut ubicumque fuerit aspersa per invocationem sancti tui nominis, omnis infestatio immundi spiritus «spiritus» abiiciatur, terrorque venosi serpentis procul pellatur, et præsentia Sancti Spiritus nobis, misericordiam tuam poscentibus ubique adesse dignetur. Per.

6. Et postquam episcopus benedixerit aquam, incipiat antiphonam istam, quam schola prosequatur usque ad finem:

Signum salutis pone, Domine Iesu Christe, in loco isto, et non permittas introire angelum percutientem. Euouae.

7. [Psalmus:]

QUAM dilecta tabernacula tua Domine virtutum. Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum, ubi reponat pullos /33v/ suos. Altaria tua, Domine virtutum, rex meus et Deus meus. Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrimarum, in loco quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion. Domine, Deus virtutum, exaudi orationem meam, auribus percipe, Deus Iacob. Protector noster, aspice, Deus: et respice in faciem Christi tui. Quia melior est dies una in atriis tuis super milia. Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis, quam habitare

¹ *Orig. corr. de respexerit.*

² *Orig. corr. de et.*

in tabernaculis peccatorum. Quia misericordiam et veritatem diligit Deus: gratiam et gloriam dabit Dominus. Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te. Gloria Patri. Sicut erat.

8. Quo finito incipiat episcopus aspergere locum aqua benedicta, et incipiat responsorium schola prosequente:

Domine Iesu Christe, ne despicias desiderium meum, sed in honore sanctæ Genitricis tuæ et martyrum confessorumque tuorum in hoc loco habitationem tuam aptam servitiis. V. Qui de virgine nasci pro salute humani generis et mortem subire dignatus es. Tuis aptam. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.

9. Bis cantata dicatur litania:

Kyrie, eleison. Christe, eleison.
Christe, audi nos. Salvator mundi, adiuva.

Sancta Maria. Ora.
Sancta Dei Genitrix. Ora.
Sancta virgo virginum. Ora.
Sancte Michael. Ora.
Sancte Gabriel. Ora.
Sancte Raphael. Ora.
Omnes sancti angeli et archangeli. [Orate.]
Sancte Ioannes baptista. Ora.
Omnes sancti patriarchæ et prophetæ. [Orate.]
Sancte Petre. Ora.
Sancte Paule. Ora.
Sancte Andrea. Ora.
Sancte Iacobe. Ora pro.
Sancte Ioannes evangelista. Ora.
Sancte Marce evangelista. Ora.
Omnes sancti Apostoli et evangelistæ. Orate.
Sancte Stephane. Ora.
Sancte Iuliane. Ora.
Sancte Laurenti. Ora.
Sancte Georgii. Ora.
Sancte Gerarde. Ora. /34/
Omnes sancti martyres. Orate.
Sancte Silvester. Ora.
Sancte Martine. Ora.
Sancte Nicolae. Ora.
Sancte Leuarde.¹ Ora.

¹ Sic, malim: Leonarde.

Sancte Vilibalde. Ora.
 Sancte Benedicte. Ora.
 Sancte rex Stephane. Ora.
 Sancte Hernice. Ora.
 Sancte Ladizlae. Ora.
 Sancte Francissce.¹ Ora.
 Sancte Antoni. Ora.
 Sancte Dominice. Ora.
 Omnes sancti confessores. Orate.
 Sancta Maria Magdalene. Ora.
 Sancta Tecla. Ora.
 Sancta Affra. Ora.
 Sancta Elena. Ora.
 Sancta Felicitas. Ora.
 Sancta Perpetua. Ora.
 Sancta Agnes. Ora.
 Sancta Agatha. Ora.
 Sancta Margareta. Ora.
 Sancta Kat[h]arina.² Ora.
 Sancta Elysabeth. Ora.
 Omnes sanctæ virgines et viduæ. [Orate.]
 Omnes sancti. Orate.

 Propitius esto. Parce nobis.
 Propitius esto. Libera nos.
 Ab ira tua. Libera nos, Domine.
 Ab insidiis diaboli. Libera nos.
 A subitanea et improvisa morte. Libera nos, Domine.
 A morte perpetua. Libera nos.
 Ab omni malo. Libera nos.
 Per annunciationem tuam. Libera.
 Per nativitatem tuam. Libera.
 Per baptismum tuum. Libera.
 Per sanctum ieiunium tuum. Libera.
 Per passionem et crucem tuam. Libera.
 Per mortem et sepulturam tuam. [Libera.]
 Per resurrectionem et ascensionem. [Libera.]
 Per gratiam Spiritus Sancti paracliti. Libera nos, Domine.
 In hora mortis, succurre nobis. [Libera.]
 In die iudici[i]. Libera nos, Domine. /34/

¹ *Sic, malim:* Francisce.

² *Littera h superius inserta.*

Peccatores. Te rogamus, audi.
 Ut sanitatem nobis dones. [Te.]
 Ut gratiam Sancti Spiritus cordibus nostris clementer infundere digneris. [Te.]
 Ut ecclesiam tuam regere et defendere digneris. Te rogamus, audi.
 Ut dominum apostolicum et omnem ecclesiasticum in sancta religione conservare digneris. Te rogamus.
 Ut pontificem nostrum cum commisso sibi grege custodire digneris. [Te.]
 Ut locum istum ad gloriam nominis tui visitare et consecrare digneris. Te rogamus, audi nos.
 Ut regem nostrum et exercitum eius perpetua prosperitate conservare digneris. [Te.]
 Ut fontem istum benedicere et sanctificare digneris. Te rogamus.
 Ut morbos auferas, famemque cum mortalitate a nobis repellere digneris. Te.
 Ut fructus terræ dare et conservare digneris. Te rogamus.
 Ut cunctum populum Christianum præciosissimo sanguine tuo redemptum custodias. Te rogamus.
 Ut omnibus infirmis sanitatem donare digneris. Te rogamus.
 Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris. Te rogamus, audi.
 Ut nobis miseris misericors miserere digneris. Te.
 Ut nos exaudire digneris. Te rogamus, audi nos.
 Ut nos custodire digneris. Te.
 Filii Dei. Te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe, audi nos.

Kyrie, eleison. Ch<y>riste,¹ eleison. Kyrie, eleison.

10. Et interim ponan/35'/tur duodecim lapides vivi, et dicantur preces:

Pater noster.

Et ne nos inducas in tentationem. [R.] Sed libera nos.

Ostende nobis, Domine, misericordiam. [R.] Et salutare tuum da nobis.

Esto nobis, Domine, turris fortitudinis. [R.] A facie inimici.

Non nobis, Domine, non nobis. [R.] Sed nomini tuo da gloriam.

Fiat pax in virtute tua. [R.] Et abundantia in turribus tuis.

Deus, tu conversus, vivificabis nos. [R.] Et plebs tua lætabitur in te.

Pretiosa in conspectu Domini. [R.] Mors sanctorum eius.

Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua. [R.] Et sancti tui benedicam² tibi.

Domine, exaudi orationem meam. [R.] Et clamor meus ad te veniat.

¹ Ms. Xyrist.

² Sic, *malim*: benedicant.

Dominus vobiscum. [R.] Et cum spiritu tuo.

11. [Oratio:]

DOMINE, sancte Pater omnipotens æterne Deus, fundator omnium creaturarum, benedicere et sanctificare dignare hos lapides, sive hæc ligna, septiformis gratiæ tuæ dono, ad construendum templum nomini tuo, ut omnis plebs ad illud convenies referat laudes nomini sancto tuo.

12. [Oratio:]

DOMINE Deus omnipotens, qui licet cælo et terra non caperis, domum tamen tibi in terris fieri ius[s]isti, in qua nomen tuum iugiter invocetur, hunc locum, quæsumus, beatæ Mariæ semper Virginis, omnium sanctorum tuorum intercedentibus meritis, sereno tuæ pietatis intuitu visita, illumque ad fabricandum elige et per infusionem gratiæ cælestis ab omni inquinamento purificas, pu/35/rificatumque conserva, ut qui dilecti tui David devotionem in filii eius Salomonis opere comple[s]ti,¹ ita famuli tui, **N.** vota in hoc opere, quæsumus, perfice, et illud, te inspirante, incipiat, teque iuvante, perficiat, sui[s]que² laboris præmium in terra consequi mereatur, viventium effugiant, quæsumus, hinc, iubente te, Domine, omnes nequitiae spirituales, et cum fraudibus suis cuncta diabolica turma tua virtute depulsa discedat, surgat hic tuæ Ecclesiæ pura simplicitas, et amabilis tibi innocentiae candor effulgeat, sicque hunc locum purum, Uni[]geniti³ tui dilectionem, coæterni tibi Spiritus Paracliti rore fecunda, ut quicumque hic pro suis necessitatibus tuæ benignitatis auribus ingesserit vota, te annuente, consequi mereatur effectum. Per.

¹ *Littera s superius inserta.*

² *Orig. del.*

³ *Spatio congruenti relicto.*

VIII. Ordo ad consecrationem cimiterii

1. Primo debet episcopus benedicere aquam, et postea cum clericis suis aquam benedictam spargendo circumdare cimiterium totum, in quo debent esse quinque cruces, et clerici prius decantent antiphonam *Asperges me cum psalmo Miserere mei Deus. Demum dec[ant]anda est litania, pontifex autem se vertat ad orientem, et dicat:*

Dominus vobiscum.

2. Oratio:

DEUS, qui es totius orb[is] conditor et humani generis Redemptor, cunctarumque creatur[ar]um visibilium, perfectus disposi/36/tor, te supplici voce ac puro

corde expossimus,¹ ut hoc cimiterium, in quo famulorum, famularumque tuarum corpora requiescere debent, post curricula huius vitæ labōentia, sanctificare, purgare atque benedicere digneris, quique peccatorum remissionem perpetuam, magnam in misericordiam in te confidentibus præstitisti, corporibus in hoc cimiterio quiescentibus, et tubam primi² archangeli exspectantibus consolationem perpetuam concede. Per.

3. Iterum vertat se ad occasum, et dicat hanc orationem:

DEUS omnipotens trina maiestas et una deitas, Pater et Filius necnon Spiritus Sanctus, iustitiæ auctor, veniæ largitor, bonorum dator, sanctitatis origo, charismatum distributor, omniumque ad te venientium pius receptor, præsta propitius, ut hoc cimiterium in honore nominis tui compositum, benedicere et sanctificare digneris, qui per Abraham beatum patriarcham, famulum tuum terram a filiis Ebron comparatam, causa sepulturæ benedixisti, et qui populo Israelitico promissionis tellurem concessisti, famulorum famularumque tuarum corporibus in hoc cimiterio quiescentibus, quietis sedem ab omni incursione malorum spirituum tutelam³ benignus largitor tribue, ut post animarum corporumque resurrectionem coadunatam, te donante /36'/ atque concedente, beatitudinem sempiternam percipere mereamur. Per.

4. Item vertat se ad austrum, et dicat hanc orationem:

DOMINE Deus, pastor æternæ gloriæ, lux et origo sapientiæ, custos et vigor prudentiæ, salus egrotantium, vale[tu]do⁴ potentium, mæstorum solamen, vita iustorum, gloria humilium, te flagitamus, ut hoc sanctorum tuorum cimiterium ab omni spurcitie, inquinamento, spirituum immundorum custodire, mundare, benedicere digneris, atque corporibus humanis in hoc loco sepultis seu sepeliendis, beatitudinem futuram concedas, et quicumque baptismi sacramentum perceperint, et in fide catholica usque ad vitæ terminum perseverantes fuerint, atque decurso, huius ævi termino corpora sua in hoc cimiterio requiei commendaverint, angelicis tubis concrepantibus præmia cælestium gaudiorum sempiterna percipiant. Per.

5. Item vertat se dominus episcopus ad plagam septentrionalem, et dicat hanc orationem:

OMNIPOTENS Deus, qui es custos animarum et tutela salutis, fides credentium, respice propitius ad nostræ servitutis officium, ut ad introitum nostrum benedicatur, consecretur et sanctificetur, hoc cimiterium quatenus humana corpora hic post vitæ cursus pausantia, in magni iudicii die mereantur adipisci vitæ perennis gau/37'/dia. Per Dominum nostrum.

¹ *Sic, malim:* Exposcimus.

² *Orig. del.*

³ *In rasura.*

⁴ *Superius insertum.*

6. Tunc stet in medio, et dicat hanc orationem:

ADESTO, quæsumus, Domine Deus, officio nostro, et huic loco visitando, ac nostræ fragilitatis ministerio, et sicut benedixisti per manus patrum nostrorum, scilicet Abrahæ, Isaac et Iacob terram sepulturæ, et postmodum pro nostræ salutis remedio traditus, flagellatus tandemque crucifixus, per te ipsum Ioseph divinitus præparante, terrenum sanctificasti sepulcrum, ita cimiterium hoc benedicere, consecrare et ab [omni]¹ invisibilium machina[me]ntis² hostium roborare digneris, quo omnes, quorum post laborem vitæ hic corpora pausaverint, perpetuæ felicitatis præmia consequantur. Qui vivit.

7. De hinc recedat ad ecclesiam, et dicat hanc orationem:

DEUS, qui sacrandorum tibi auctor es munerum, effunde super hanc orationis domum benedictionem tuam, ut ab omnibus hic invocantibus nomen tuum defensionis tuæ auxilium sentiatur. Per.

¹ Orig. add.² Orig. add.

IX. Ordo ad consecrandam ecclesiam

1. Sero nocte præcedente, ante solis occasum figatur tentorium iux[t]a ecclesiam in cimiterio, et componatur altare in eodem, super quod ponantur reliquiæ in feretro, et episcopus cum clero et populo, cruce præ[ce]dente, circumat ipsam ecclesiam ter, et schola cantet responsorium de sancta Trinitate:

Summæ Trinitati sim[il]plici Deo, una divinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas, Patri prolique sanctoque flamini, qui totum subdit suis orbem legibus. V. Præstet nobis gratiam deitas beata Patris ac Nati pariterque Spiritus almæ.³ Qui totum.

2. Cum autem domnus episcopus venerit ad ostium ecclesiæ, dicat orationem de beata Trinitate:

[V.] Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.

[R.] Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

3. Oremus. **Oratio:**

OMNIPOTENS sempiternæ Deus, qui dedisti nobis famulis tuis in confessione vere fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia maiestatis adorare unitatem, quæsumus, ut eiusdem [fidei]⁴ firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per.

³ Sic, malim: almi.⁴ Orig. corr.

4. Et secundo debet episcopus ecclesiam circuire, et schola debet cantare re[s]ponsorium de beata Virgine Maria:

Felix valde sacra Virgo 138¹ Maria et omni laude dignissima, quia ex te ortus est sol iustitiæ, Christus, Deus noster. V. Ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu, sentiant omnes tuum iuvamen, quicumque celebrant tuam sanctissimam commemorationem. Quia ex.

5. Et cum venerit ad ostium ecclesiæ domnus episcopus, dicat orationem de beata Virgine Maria:

Ora pro nobis, sanctissima Dei Genitrix.

6. Chorus:

Ut digni efficiamur promissionibus¹ Christi.

7. Oratio:

CONCEDE nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa beatæ Mariæ semper Virginis intercessione a præsentis liberari tristitia, et futura perfrui lætitia. Per.

8. Et post, tertio debet episcopus ipsam ecclesiam circuire, schola vero debet cantare responsorium de omnibus sanctis:

Isti sunt sancti, qui pro testamento Dei 138¹ sua corpora tradiderunt, et in sanguine Agni laverunt stolas suas. V. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia, et meruerunt habere coronas perpetuas. Et in.

9. Et cum tertio venerit episcopus ad ostium ecclesiæ, dicat orationem de omnibus sanctis. Versiculus:

Lætamini in Domino, et exsultate iusti.

10. Clerus:

Et gloriamini omnes recti corde.

11. Oremus. Oratio:

DA quæsumus, Domine, fidelibus populis tuis omnium sanctorum tuorum semper veneratione lætari, et eorum perpetua supplicatione muniri. Per Christum Dominum nostrum.

12. Si vero evenerit consecratio ecclesiæ inter adventum Domini et Nativitatem, dicatur versiculus:

Ibunt sancti de virtute in virtutem.

¹ Ms. promissionem.

13. Clerus:

Videbitur Deus deorum in Sion.

14. Oremus. Oratio:

CONSCIENCIAS nostras, Domine, visitando purifica, ut veniens Unigenitus tuus Filius, Dominus noster, Iesus Christus, cum omnibus sanctis suis paratam sibi in nobis inveniatur mansionem. Per Dominum.

15. Si autem evenerit inter Pascha et Ascensionem Domini, dicatur versiculus:

[V.] [Gaudete iusti in Domino, alleluia.]¹ /39'/

[R.] Rectos decet collaudatio.

16. Oremus. [Oratio:]²

CONSERVA, quæsumus, Domine, sperantes in te, et effice voluntatem tuam in nobis, ut clarificati lætitia resurrectionis Filii tui Domini nostri Iesu Christi mereamur a dextris tuis cum omnibus sanctis delectari. Per Dominum.

17. Sed³ si venerit consecratio inter Ascensionem et Pentecostem, dicatur versiculus:

[V.] Lætamini in Domino et exsultate iusti.

[R.] Et gloriamini omnes recti corde.

18. Oremus. [Oratio:]

CONSERVA, quæsumus, Domine, spe[rantes] in te, et effice⁴ voluntatem in nobis, ut clarificati lætitia ascensionis Domini nostri Iesu Christi mereamur cum omnibus sanctis delectari. Per.

19. In die autem consecrationis ecclesiæ sint omnia preparata, aqua, sal et hyssopus colligatur super [asper]sorium,⁵ et audita missa in tentoriis iuxta ecclesiam in cimiterio. Dominus episcopus induat se pontificalibus et sandalis, et minister similiter, et veniat sic indutus episcopus cum ministris ante maius ostium ecclesiæ, et schola incipiat litaniam. Episcopus interim benedicat aquam dicens:

[V.] Deus, in adiutorium meum intende.

[R.] Domine, ad adiuvandum me festina.

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio et nunc et semper, et in sæcula sæculorum amen. Sine alleluia.

¹ In rasura. Initium textus deleti fuit L.

² Orig. omm., spatio relicto.

³ Ms. Set.

⁴ Ms. effici.

⁵ Orig. add.

20. *Benedicat autem aquam in hæc verba:*

EXORCIZO te, creatura salis per Deum vivum, per Deum verum, per Deum sanctum, per Deum, qui te per Elisæum prophetam in a/39^o/quam mitti iussit, ut sanaretur sterilitas aquæ, ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium, ut sis omnibus sanitas animæ et corporis, et effugiat atque discedat ab eo loco, quo aspersum fueris, omnis phantasia et nequitia vel versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus, adiuratus per eum, qui venturus est iudicare vivos et mortuos et sæculum per ignem. [R.] Amen.

21. *Oratio:*

IMMENSAM clementiam tuam, omnipotens Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam salis, quam in usum humani generis tribuisti, benedicere et sanctificare tua pietate digneris, ut sit omnibus sumentibus salus mentis et corporis, et quicquid ex eo [t]actum¹ vel aspersum fuerit, careat omni immunditia omnique impugnatione spiritalis nequitiae per Christum Dominum nostrum.

22. *Oratio:*

EXORCIZO te, creatura aquæ, in nomine Dei Patris omnipotentis et in nomine Iesu Christi, filii eius Domini nostri, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, et ipsum inimicum eradicare et explantare valeas cum angelis suis apostatis, per virtutem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare vivos et mortuos et sæculum per ignem. [R.] Amen.

23. *Oratio:*

DEUS, qui ad salutem humani generis maxima quæque sacramenta in aquarum substantia con/40^o/didisti: adesto propitius invocationibus nostris, et elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem tuæ benedictionis infunde, ut creatura mysterii tui tibi serviens ad abiiciendos dæmones morbosque pellendos divinæ gratiæ sumat effectum, ut quicquid in domibus vel in locis fidelium hæc unda resperserit, careat omni immunditia, liberetur a noxa. Non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens, discedant omnes insidiæ latentis inimici, et si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti aspersione, huius aquæ effugiat ut salubritas per invocationem tui nominis expetita ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per.

24. *Commisceatur sal in aqua:*

Fiat commixtio salis et aquæ pariter in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. [R.] Amen.

¹ *Orig. add.*

25. Oratio:

DEUS, invictæ virtutis auctor, et insuperabilis imperii rex, ac semper magnificus triumphator, qui adversæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis sævitiam superas, qui hostiles nequitas potenter expugnas. Te, Domine, trementes ac supplices deprecamur et petimus, ut hanc creaturam salis et aquæ dignanter accipias, benignus illustres, pietatis tuæ more sanctifices, ut ubicumque fuerit aspersa per invocationem sancti tui nominis, /40'/ omnis infestatio immundi spiritus abiiciatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur, et præsentia Sancti Spiritus nobis, misericordiam tuam poscentibus ubique adesse dignetur. Per.

26. Et post hæc episcopus debet circuire ecclesiam ter cum clero et populo, et aspergere aqua benedicta ecclesiam consecrandam. Et duodecim lucernæ, quæ fuerint præparatæ nocte præterita intus inter ecclesiam, ordinatæ in quattuor parietibus ecclesiæ debent accendi, per diaconum vestitum diaconalibus, vel presbiterum inclusum in ecclesia. Et in primo circuitu schola cantet responsorium:

Fundata est domus Domini super verticem montium, et exaltata est super omnes colles, et venient ad eam omnes gentes, et dicent: gloria tibi, Domine. V. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. Et venient.

27. Et cum episcopus venerit ad ostium ecclesiæ, dicit:

Oremus.

28. Diaconus: Flectamus genua. Levate. /41'/ Oratio:

OMNIPOTENS sempiternæ Deus, qui in omni loco dominationis tuæ totus as[s]is-tis, totus operaris, adesto supplicationibus nostris, et huius domus, cuius fundator es, esto protector, nulla hic nequitia contrariæ potesta[tis]¹ obsistat, sed, virtute Spiritus Sancti operante, fiat hic tibi purum servitium et devota libertas. Per.

29. Et dicta oratione, accedat episcopus ad ostium ecclesiæ, et percutiat ter ostium ecclesiæ cum cambuca, dicens:

Tollite, portas, principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ.

30. Et ille diaconus vel presbiter, qui inclusus est in ecclesia, respondebit, dicens:

Quis est iste rex gloriæ?

31. Et episcopus dicit:

Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.

¹ Orig. corr.

32. Et recedens episcopus ab ostio ecclesiæ secundario circuiat ecclesiam cum clero et populo aspergendo aquam, et schola cantet responsorium:

Tu, Domine universorum, qui nullam habes indigentiam, voluisti templum tuum fieri in nobis, conserva domum istam immaculatam in æternum, Domine. 141^v V. Tu, Domine, cui humilium semper et mansuetorum placuit deprecatio. Conserva.

[Tollite portas, principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis et potens. Dominus potens in prælio et ... io. Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.]¹

33. Tunc iterum veniens episcopus ante ostium ecclesiæ, dicit:

Oremus.

34. **Diaconus:** Flectamus genua. Levate. [Oratio:]

OMNIPOTENS sempiternus Deus, qui per Filium tuum angularem scilicet lapidem duos e diverso venientes ex circumcissione, et præputio parietes, duosque greges ovium sub uno eodemque pastore unisti, da famulis tuis per hæc nostræ devotionis officia, indissolubile vinculum caritatis, ut nulla divisione mentium, nullaquæ perverſitatis varietate sequestrentur, quos sub unius regimine pastoris, unus grex continet, uniusque, te custode, ovilis scepta concludunt per eundem Christum Dominum.

35. Post hæc episcopus accedens propærius percutiat super liminare ecclesiæ ter cum cambuca sua, dicens:

Tollite, portas, principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ.

36. Et diaconus sive presbiter inclusus deintus dicat:

Quis est iste rex gloriæ?

37. Et episcopus respondens. Responsorium:

Benedic, Domine, domum 142^v istam, et omnes habitantes in illa. Sitque in ea sanitas, humilitas, sanctitas, castitas, virtus, victoria, fides, spes et caritas, benignitas, temperantia, patientia, spiritalis disciplina et obædientia per infinita sæcula. V. Conserva, Domine in ea timentes te, pusillos cum maioribus. Per infinita.

38. Et cum iterum venerit ante ostium ecclesiæ, dicat pontifex:

Oremus.

39. **Diaconus:** Flectamus genua. Levate. [Oratio:]

OMNIPOTENS et misericors Deus, qui sacerdotibus tuis per ceteris tantam gratiam contulisti, ut quicquid in tuo nomine digne perfecteque et laudabiliter ab eis

¹ In margine.

agitur, a te fieri credatur. Quæsumus immensam clementiam tuam, ut quicquid modo visitaturi sumus, visites, et quicquid benedicturi sumus, benedicas. Sitque ad nostræ humilitatis introitum sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum /42'/ angeli[cæ]¹ pacis ingressus. Per Dominum nostrum.

40. Et tunc accedens episcopus ad ostium ecclesiæ tertio, percutiat superliminare² ecclesiæ cum cambuca sua, et dicat iterum:

Tollite portas, principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ.

41. Et diaconus vel presbiter deintus dicat:

Quis est iste rex gloriæ?

42. Et episcopus:

Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ.

43. Et idem episcopus adiiciens dicat ter:

Aperi, aperi, aperi.

44. Tunc statim, ostio aperto, diaconus sive presbiter exiens osculetur manum episcopi, et episcopus intret ecclesiam cum ministris, dicens alta voce ter:

Pax huic domui introitu nostro. [R.] Amen.

Pax huic domui introitu nostro. [R.] Amen.

Pax huic domui introitu nostro. [R.] Amen.

45. Postea incipiat episcopus antiphonam istam, dicens:

Pax æterna ab æterno Patre, huic domui pax perennis, verbum Patris sit pax huic domui pacem, pius consolator, huic præstet domui. Euouae.

46. Et statim post antiphonam, dum venerit episcopus in medium ecclesiæ, incipiat alta voce hymnum: /43'/

1. *Veni, creator Spiritus,
mentes tuorum visita,
imple superna gratia,
quæ tu creasti, pectora.*

2. *Qui Paraclitus disceris,
donum Dei altissimi,
fons vivus, ignis, caritas,
et spiritalis unctio.*

3. *Tu septiformis munere,
digitus paternæ dexteræ,
tu rite promissum Patris,
sermone ditans guttura.*

4. *Accende lumen sensibus;
infunde amorem cordibus;
infirma nostri corporis
virtute firmans perpeti.*

¹ *Orig. corr.*

² *Orig del. de super luminare.*

5. *Hostem repellas longius,
pacemque dones protinus,
ductore sic te prævio
vitemus omne noxium.*

6. *Da gaudiorum præmia,
da gratiarum munera,
dissolve litis vincula,
abstringe¹ pacis fœdera.*

7. *Per te sciamus, da, Patrem
noscamus atque Filium,
teque utriusque Spiritum
credamus omni tempore.*

8. *Deo Patri sit gloria
et Filio, qui a mortuis
surrexit, ac Paraclito
in sempiterna sæcula.*

47. *Et cantato hymno statim fiant litaniam, et cum ventum fuerit ad illum versum* Et regem nostrum et exercitum eius perpetua prosperitate conservare digneris. Te. *statim surgat episcopus, et dicat:*

Et hanc ecclesiam et hoc altare benedicere digneris. Te rogamus, audi nos.
Et hanc ecclesiam et hoc altare benedicere et sanctificare digneris. Te rogamus, audi nos.

Et hanc ecclesiam et hoc altare benedicere, sanctificare et conservare digneris. Te rogamus, audi nos.

48. *Et statim finita litania episcopus non dicat* Dominus vobiscum, *sed tantum:*

Oremus.

49. *Et diaconus: /43^y/*

Flectamus genua.

50. *Oratio:*

MAGNIFICARE, Domine Deus noster in sanctis tuis, et in hoc templo tibi ædificato appare, ut qui cuncta in filiis adoptionis operaris, ipse semper in tua hereditate lauderis. Per Dominum. Qui tecum.

51. *Deinde incipiat episcopus de sinistro angulo ecclesiam ab oriente scribere per pavimentum ecclesiam cum cambuca sua totum grecum alphabetum, et scribat usque in dextrum angulum occidentalem hoc modo:*

Alfa: A. Vita: B. Gamma: Γ. Dalma: Δ. Ebeus: E. Eperismon: Ж. Zeta: Ζ.
Etha: H. Tetha: Θ. Iotha: I. Cappa: K. Lautha: Λ. Mi: M. Ni: N. Xi: Ξ.
Obreius: O. Pi: Π. Cophe: Q. Ro: P. Sima: C. Tau: T. Vi: Υ. Fi: Φ.
Chi: X. Psi: Ψ. Elonga: Ω. Eimacos: III. Chile: ΙΙ,²

¹ *Sic, malim:* adstringe.

² *In ima pagina:* Alfa: A Vita: B Gamma: Γ Deltha: Δ E: E Sitha: Z Ita: H Titha: Θ Yotha: I Kappa: K [*orig. corr. de cappa*] Λ Mi: M Ni: N Xi: Ξ O: O Pi: Π Ro: P Sima: Σ Tha: T Ipsilon: Υ [*orig. corr. de ipsiro*] Phi: Φ [*orig. corr. de si*] Chi: X Psi: Ψ ‹Oth›omega: Ω [*orig. del.*]

52. Postea scribat totum alphabetum latinum cum cambuca sua per pavementum ecclesiæ incipiens a dextro angulo ab oriente usque in sinistrum angulum occidentalem hoc modo:

A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. X. Y. Z.

53. Et interim, donec episcopus scribit, cappella[m] cante[n]t istam aniphonam, præsole incipiente:

*O quam metuendus est locus iste, vere /44/ non est aliud hic, nisi domus Dei et porta cæli. Sæculorum.*¹ *Sexti.*²

54. [Psalmus:]

BENEDICTUS Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ. Et erexit cornu salutis nobis in domo David, pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, prophetarum eius. Salutem ex inimicis nostris et de manu omnium, qui oderunt nos. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris et memorari testamenti sui sancti. Iusiurandum,³ quod iuravit ad Abraham, patrem nostrum, daturum se nobis. Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi. In sanctitate et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. Ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum [m]eorum. Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto. Illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

53. Psalmus cum Gloria Patri et Filio et Sicut erat. Et repetatur antiphona.

54. Demum veniens episcopus ante altare. Benedicat aquam, dicens ter:

Deus, in adiutorium meum intende cum Gloria Patri /44/ et Sicut erat in principio sine alleluia.

55. Sequitur exorcismus salis:

EXORCIZO te, creatura salis in nomine Dei Patris, Domini nostri Iesu Christi, qui apostolis suis ait: vos estis sal[us]⁴ terræ, et per apostolum dicit: cor vestrum sale sit conditum, ut sanctificeris ad consecrationem huius ecclesiæ. Ad expellendas omnes demonum tentationes, et omnibus, qui ex te sumpserint, sis corporis et animæ tutamen et sanitas et protectio et confirmatio et salus per eum, qui venturus est iudicare vivos et mortuos.

56. Oratio:

EXORCIZO te, creatura salis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, qui te per Elisæum prophetam in aquam mitti iussit, ut sanaretur sterilitas aquæ, qui divina

¹ *Alia manus add. pro Euouae.*

² *Alia manus add. ad tonum assignandum.*

³ *Ms. susiurandum.*

⁴ *Orig. del.*

oris sui voce ait: vos estis sal terræ. Et per apostolum suum: vas electionis sermo vester sale sit conditus. Ideoque efficere sal exorcizatum, ut sis in remissionem peccatorum et sanitatem mentium, in protectionem animæ atque corporis, in confirmationem salutis, ad expellendas et excludendas omnes demonum tentationes, in nomine Patris omnipotentis et Iesu Christi Filii eius et Spiritus Sancti in sæcula sæculorum. Amen.

57. Oratio:

VIRTUTIS tuæ invictam fortitudinem deprecamur, Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui inter omnia ne/45/cessaria, quæ per Iesum Christum Dominum nostrum procreari iussisti, non minimam gratiam conferre dignatus es salis, ut ex illo possint universa condiri, quæ omnibus ad escam per eundem Filium tuum Dominum nostrum procreasti. Ideoque supplices exoramus, ut hoc sal digneris aspicere, quatenus ex maiestatis tuæ virtute contra omnes spiritus immundos valorem possit accipere. Expellat ab omni loco, ubi tua fuerit invocatione aspersum, quicquid potest esse pestiferum, ut exhibeat plenum salutis effectum. Deterreat omnes prestigias inimici et omnia monstruorum genera longius faciat effugari. Gravedines, omnes phantasia[s]¹ compescat, et per signum crucis Filii tui Domini nostri Iesu Christi tutelam fidelissimam desiderantibus præstet. Qui tecum.

58. Exorcizmus aquæ:

EXORCIZO te, creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, et in nomine Iesu Christi Filii eius Domini nostri, et in virtute Spiritus sancti, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, et ipsum inimicum eradicare et explantare valeas cum angelis suis apostatis,² per virtutem eiusdem Domini nostri.

59. Oratio:

DEUS, qui ad salutem humani generis maxima quæque sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius invocationibus nostris, et elemento huic mul/45/timodis purificationibus præparato, virtutem tuæ benedictionis infunde, ut creatura tua mysteriis tuis serviens ad abiciendos [dæmones]³ morbosque pellendos divinæ gratiæ sumat effectum, ut quicquid in domibus vel in locis fidelium hæc unda resperserit, careat omni immunditia, liberetur a noxa. Non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens, discedant ab eo omnes insidiæ latentis inimici, et si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione huius aquæ effugiat ut salubritas per invocationem tui nominis expetita ab omnibus sit impugnati-
onibus defensa. Per virtutem Domini nostri.

¹ *Orig. corr.*

² *Rasura inter i et s.*

³ *Orig. corr.*

60. [Oratio:]

DISCEDE immunde Spiritus ab omnibus, quibus fides nostra usura est religiosi officii sacramentis, nec præendas culpam criminis. Qui agnoscis potentiam salvatoris. Non est meriti confidentia, sed præcepti, licet ipsa potestas ministerii dignitas sit ministri. Te igitur per communem Deum aquæ creatura convenio, ut conservato motu sensibilitatis intelligens subiici servitio, quo placere Deo nitimur non recuses. Omnem a te communionem dæmonum omne collegium iniquitatis expurges, totam phantasmatis labem capax dominicæ protectionis extermines, ut gratia sanctifi-⁴⁶/cationis adæpta, tuo nostroque pariter creatori debito famulatu deserviens, omnem spirituum pravorum, nequitiam quocumque loco fueris aspersa deiicias, et sanctæ copiam benedictionis infundas. Per Dominum nostrum ... qui venturus est.

61. Benedictio aquæ:

DOMINE Deus Pater omnipotens, statutor et conditor omnium elementorum, qui per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum elementum hoc aquæ in salutem humani generis esse voluisti, te supplices deprecamur, ut, exauditis orationibus nostris, eam tuæ pietatis respectu sanctifices, atque ita omnium spirituum immundorum ab ea recedat incursio, ut ubicumque fuerit in nomine tuo aspersa, gratia tuæ benedictionis adveniat, et mala omnia te propitiante procul recedant. Per eundem.

62. [Exorcizmus cineris:]¹

EXORCIZO te, cinis, in nomine Dei Patris omnipotentis et in nomine Iesu Christi Filii Dei et Spiritus Sancti, qui te per ignem in favillam converti præcepit, ut sicut visionem Dei et sanctum famulum eius Moysen cinis vitulæ aspersus, omnem congregationem Israel sanctificavit, ita et tu exorcizatus sis in nomine Sanctæ Trinitatis ad dedicationem huius basilicæ aspersus in es, qui scrutinia sunt habituri superstantes vel transituros, diabolus non lateat, sed manifestetur et expellatur, ut puri et sinceri inveni-
antur.

63. [Oratio:]

TE autem petimus et rogamus, ⁴⁶/Pater omnipotens, ut sicut ninivitarum populus ad prædicationem Ionæ prophetæ misericordiam tuam, Domine, exorantes, suorum veniam meruerunt consequi peccatorum, ita et hii, qui ad tuam gratiam percipiendam ad hanc basilicam venire desiderant, impietatis carnalibus maculis per sacri baptismatis regenerationem suorum finem constituent vitiorum. Per.

64. Benedictio cineris:

OMNIPOTENS sempiternæ Deus, parce metuentibus propitiare supplicibus, et mittere digneris sanctum angelum tuum de cælis, qui benedicat et sanctificet cineres istos, ipsis pro conscientia delictorum suorum ac[c]usantibus, atque ante con-

¹ *Orig. omm., spatio relicto.*

spectum divinæ clementiæ tuæ facinora sua deplorantibus, vel serenissimam pietatem tuam suppliciter obnixequè flagitantibus, præsta quæsumus, per invocationem sanctissimi nominis tui, ut quicumque eos super se asperserint, pro redemptione peccatorum corporis sanitatem et animæ tutelam percipiant. Per.

65. *Tunc misceatur sal et cinis cum aqua benedicta, et dicat episcopus:*

Hæc commixtio salis et cineris cum aqua benedicta sit sanctificata, ad consecrationem huius ecclesiæ et altaris in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

66. *Et post hanc dicat episcopus orationem:*

OMNIPOTENS æternæ Deus, qui nobis conditam a te creaturam aquæ in fide distinxisti, ut liquorem simplicem ad lavacrum salsam soliditatem præberes condimentum, quate/47/nus et sordida possent abluï et fatua imbui, quo et noxa tolleretur originalis et corrigeretur error ad viam salutis, te officii functione immeriti deprecamur, ut hæc salis et aquæ in tuo nomine sancta commixtio, clementiæ tuæ sanctificetur obtutu, quodque mysterialiter baptismo commodum culpæ tradidisti inimicum, sapientiæ aptum errori præstans adversum, Sancti Spiritus tui sanctitate, reddas sanctificatum, nec ullo contagio reddatur immundum, quod tua credimus fieri maiestate beatum, sed ita per te probeat plenum sanctificationis effectum, ut ubicumque invocato nomine tuo fuerit manu emissum, vel quolibet modo assumptum, expulsis et exclusis omnibus insidiis contrariæ potestatis, et cuncta dæmonum machinamenta ex eodem loco fugata deficiant, et sanctorum angelorum custodia semper ibi mansura consistat. Per Dominum ... in unitate.

67. *Item: Benedictio vini. Oratio:*

DOMINE, Iesu Christe, qui es vitis vera, quique in Chana Galilææ ex aqua vinum fecisti, benedicere et sanctificare dignare hanc creaturam vini, quam in substantiam servorum tuorum tribuisti, ut quicumque ex eo biberint, benedictionis tuæ opulentia replentur. Per Dominum.

68. *Demum ponat vinum in ipsam aquam, et dicat: /47/*

Fiat commixtio vini cum sale et aqua et cinere in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

69. *Et dicat hanc orationem absque oremus:*

DEUM Patrem omnipotentem, fratres carissimi, in cuius domo mansiones multæ sunt, supplices deprecamur, ut habitaculum istud benedicere et custodire dignetur per aspersionem aquæ huius cum vino mixte. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium suum, qui cum eo et¹ Spiritu Sancto vivit et regnat Deus¹ per omnia sæcula sæculorum.

¹ *Orig. add.*

70. *Benedictio aquæ cum vino mixtæ. Oratio:*

OMNIPOTENS sempiternæ Deus, qui es creator et conservator humani generis et dator gratiæ spiritualis atque largitor æternæ salutis, tu Domine, emitte Spiritum tuum sanctum super vinum hoc aqua mixtum, ut armatum virtute cælestis defensionis ad consecrationem huius ecclesiæ vel altaris proficiat. Per Dominum ... in unitate.

71. *Tunc ingrediens episcopus ad altare primo cum pollice sua de aqua sancta faciat crucem in medio altaris. Demum in dextera, tunc in sinistra, et per singula cornua altaris, ita dicens:*

Sanctificetur hoc altare in nomine sanctæ et individuæ Trinitatis et in honore victoriosissimæ crucis, et memoria sanctæ Mariæ et sanctorum vel sancti **N**.

72. *Et diaconus:*

R. Amen.

73. *Et episcopus:*

Pax tecum.

74. *Et diaconus:*

Et cum spiritu tuo.

75. *Et hoc dicat episcopus per singulas intinctiones vel unctiones. /48ⁱ/*

76. *Et post cum hyssopo aspersorio colligato aspergat domnus episcopus ipsum altare septem vicibus in circuitu, incipiendo antiphonam:*

Aperges me, Domine hyssopo, et mundabor.

77. *Quam antiphonam clerus et cappellani prosequantur, cantando usque in finem cum psalmo Miserere mei Deus cum Gloria Patri et Filio. Sicut erat in principio et nunc et. In fine repetatur Asperges me:*

Asperges me Domine hyssopo et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor.

78. [Psalmus:]

MISERERE mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi et malum coram te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis et vincas, cum iudicaris. Ecce enim, in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. Ecce enim, veritatem dilexisti, incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Asperges me ⟨Domine⟩ hyssopo, et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor. Auditui meo dabis gau-

¹ *Insertum superius ab alia manu.*

dium et lætitiā, et exultabunt ossa humili/48'/ata. Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne proicias me a facie tua, et spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi lætitiā salutaris tui, et spiritu principali confirma me. Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur. Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ, et exultabit lingua mea iustitiā tuam. Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam. Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias. Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Ierusalem. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes et holocausta, tunc imponent super altare tuum vitulos. Gloria Patri et Filio ... Sicut erat in principio et nunc.

79. *Psalmo dicto et antiphona repetita, episcopus dicat hanc orationem.* Oremus. *Oratio:*

PATEANT aures misericordiæ tuæ super hoc altare tuum, quæsumus, Domine precibus supplicantium, et ut petentibus desiderata concedas, fac eos, quæ tibi sunt placita, postulare. Per Christum Dominum nostrum.

80. *Et dicta oratione, dominus episcopus ipsam ecclesiam circuiat deintus tribus vicibus aqua de novo benedicta /49'/ aspergendo per parietes ipsius ecclesiæ cum hyssopo colligato aspersorio, incipiens a dextra parte orientis usquedum redeat in orientem. Et in primo circuitu episcopus aspergat. Schola autem cantet antiphonam:*

Hæc est domus Domini firmiter ædificata, bene fundata supra firmam petram. Euouae.¹

81. [Psalmus:]

LÆTATUS sum in his, quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Ierusalem. Ierusalem, quæ ædificatur ut civitas, cuius participatio eius in idipsum. Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel ad confitendum nomini Domini. Quia illic sederunt sedes in iudicio, sedes super domum David. Rogate, quæ ad pacem sunt, Ierusalem, et abundantia diligentibus te. Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis. Propter fratres meos et proximos meos loquebar pacem de te. Propter domum Domini Dei nostri quæsiui bona tibi. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio et nunc et semper.

82. *Et sic lecto psalmo, antiphona repetita, episcopus dicat hanc orationem:* Oremus.

SIC benedictionem tuam, Domine, populus fidelis ad laudem et honorem nominis tui veniens accipiat, quatenus corpore salvatus et mente /49'/ hic gratam tibi semper exhibeat servitutem, et propitiationis tuæ beneficia iugiter inveniat. Per.

¹ *Alia manus add.*

83. Et postea dominus episcopus circuiat ecclesiam secundo aspergendo aquam benedictam per parietes et cappellani cantent:

*Tu, Domine universorum, qui nullam habes indigentiam, voluisti templum tuum fieri in nobis, conserva domum istam immaculatam in æternum, Domine. Euouae.*¹

84. Et postea dominus episcopus circuiat ecclesiam secundo aspergendo aquam benedictam per parietes et cappellani cantent:

EXSURGAT Deus, et dissipentur inimici eius, et fugiant, qui oderunt eum, a facie eius. Sicut deficit fumus, deficient, sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei. Et iusti epulentur et exsultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia. Laudate² Deo, psalmum dicite nomini eius, iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi. Exsultate in conspectu eius, turbabuntur a facie eius, patres³ orphanorum et iudices⁴ viduarum. Deus in loco sancto suo, Deus, qui habitare facit unius moris in domo. Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulcris. Deus, cum egredieris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto. Terra mota est, et /50/ enim cæli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel. Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hereditati tuæ, et infirmata est, tu vero perfecisti eam. Animalia tua habitabunt in ea, parasti in dulcedine tua pauperi, Deus. Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa. Rex virtutum dilecti dilecti et speciei domus dividere spolia. Si dormiatis inter medios clericos, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi eius in pallore auri. Dum discernit cælestis rex super eam, nive dealbabuntur in Selmon, mons Dei, mons pinguis. Mons coagulatus, mons pinguis, ut quid suspicamini montes coagulatos? Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, etenim Dominus habitabit in finem. Currus Dei decem milibus multiplex, milia lætantium, Dominus in eis in Sinai sancto. Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus. Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum. Benedictus Dominus die cottidie, prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum. Deus noster, Deus salvos faciendi, et Domini Domini exitus mortis. Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis. Dixit Dominus: Ex Basan convertam, convertam in profundum maris. /50/ Ut intinguatur pes tuus in sanguine, et lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Viderunt ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto. Prævenerunt principes coniuncti psallentibus in medio iuencularum tympanistiarum. In ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel. Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu. Principes Iuda duces eorum, principes Zabulon, et principes Nephthalim. Manda, Deus, virtuti tuæ, confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis. A templo tuo in Ierusalem. Tibi offerent reges munera. Increpa feras harundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos,

¹ *Alia manus add.*

² *Sic, malim: cantate.*

³ *Sic, malim: patris.*

⁴ *Sic, malim: iudicis.*

qui probati sunt argento. Dissipa gentes, quæ bella volunt, venient legati ex Ægypto, Æthiopia prævenient manus eius Deo. Regna terræ, cantate Deo, psallite Domino. Psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli ad orientem. Ecce, dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel, magnificentia eius et virtus eius in nubibus. Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus. Gloria Patri et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio.

85. *Lecto psalmo et antiphona recantata, episcopus dicat hanc orationem:* Oremus. *Oratio:*

SOLUS ineffabilis super/51/norum rex, Domine Deus, auxiliare, quæsumus, Domine, ecclesiæ tuæ, ut quicumque huc ad laudem nominis tui conveniunt, sacræ devotionis proficiant in crementis, et tuo semper munere gubernentur, et ad redemptionis æternæ pertinea[n]t consortium, te docente. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

86. *Item domnus episcopus circuiat ecclesiam tertio aspergendo aquam benedictam per parietes, et cappellani cantent antiphonam:*

Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei celi commorabitur.

87. [Psalmus:]

QUI habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Dicit Domino: Susceptor meus es tu et refugium meum, Deus meus, sperabo in eum. Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium et a verbo aspero. Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis eius sperabis. Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis a timore nocturno. A sagit[t]a volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano. Cadent a latere tuo mille, et decem milia a dextris tuis, ad te autem non appropinquabunt. Verumtamen oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis. Quoniam tu es, Domine, spes mea, Altissimum posuisti refugium /51/ tuum. Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. Quoniam in me speravit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Clamavit¹ ad me, et ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum. Longitudine[m] dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum. Gloria Patri et Filio et ... Sicut erat in principio et nunc.

88. *Post hæc autem cantato psalmo et antiphona repetita, dicat hanc orationem:* Oremus.

ADIUTOR altissimi Deus et protector cælestis, preces nostras, quæsumus, clementer exaudi, nobisque misericordiam tuam poscentibus concede, ut quicumque

¹ Sic, *malim*: clamabit.

inter parietes huius ecclesiæ ad te clamaverint, omnium peccatorum veniam et gaudia percipere mereantur æterna. Per Christum Dominum.

89. Demum aspergat episcopus aquam benedictam in longum et latum per medium ecclesiæ, faciens crucem ab altari usque ad fores ecclesiæ versus occidentem per pavimentum, et clerus cantet antiphonam cum psalmo:

Domus mea domus orationis vocabitur. Euouae.¹ 152'

90. [Psalmus:]

Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te. Gloria Patri et Filio ... Sicut erat in principio et nunc.

91. Et repetatur antiphona *Domus mea domus orationis*.

92. Et post hæc episcopus stans in medio ecclesiæ dicat:

Oremus.

93. Diaconus:

Flectamus genua.

94. Sequitur oratio:

DEUS, qui loca nomini tuo dedicanda sanctificas, effunde super hanc orationis domum gratiam tuam, ut omnibus hic invocantibus nomen tuum, auxilium tuæ miserationis sentiat. Per Dominum.

95. Item post hæc episcopus stans in medio ecclesiæ dicat voce excelsa:

Oremus.

96. Diaconus:

Flectamus genua.

97. Sequitur oratio:

DEUS, sanctificationum omnipotens dominator, cuius pietas sine fine sentitur, Deus, qui cælestia simul et terrena complecteris, servans misericordiam tuam populo tuo ambulanti ante conspectum gloriæ tuæ, exaudi preces servorum tuorum, ut si[n]t oculi tui aperti super domum istam die ac nocte. Hanc quoque basilicam in honore victoriosissimæ Crucis et sancti illius, sacris mysteriis institutam, clementissimus dedica, miseratus illustra, proprio splendore clarifica, omnemque hominem venientem adorare te in loco hoc placatus admitte, propitius dignare respicere, et propter nomen tuum magnum et manum tuam fortem et brachium tuum excelsum in hoc

¹ *Alia manus add.*

tabernaculo supplicantes libens /52/ protege, dignanter exaudi, æterna defensione conserva, ut semper felices semperque in tua religione lætantes constanter, in Sanctæ Trinitatis confessione, fide catholica perseverent. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus.

98. Et ibi mutat vocem suam episcopus, et dicat alta voce quasi præfationem:

Per omnia sæcula sæculorum.

98. Clerus:

Amen.

99. Episcopus:

Dominus vobiscum.

100. Cappella:

Et cum spiritu tuo.

101. Episcopus:

Sursum corda.

102. Schola:

Habemus ad Dominum.

103. Episcopus:

[R.] Gratias agamus Domino Deo nostro. [V.] Dignum et iustum est.

104. Episcopus:

UET iustum est, æquum et salutare. Nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte Pater, omnipotens æterne Deus. Adesto precibus nostris, adesto sacramentis, adesto piis famulorum tuorum laboribus, nobisque misericordiam tuam poscentibus. Descendat quoque in hanc ecclesiam tuam, quam sub invocatione sancti nominis tui, in honore sanctæ Crucis, in qua coæternus tibi Filius tuus Dominus noster Iesus Christus, pro redemptione mundi pati dignatus est, et memoriam sancti illius indigni consecramus, Sanctiꝰ Spiritus tuus septiformis gratiæ ubertate redundans, ut quotienscumque in hac domo tua, sanctum nomen tuum fuerit invocatum, eorum, qui te invocaverint, a te, pio Domino, preces exaudiantur. /53/ O beata et Sancta Trinitas, qui omnia purificas, omnia mundas et omnia exornas. O beata maiestas Dei, qui cuncta implet cun[c]ta contines cunctaque disponis. O beata et sancta manus Dei, quæ omnia sanctificas, omnia benedicis, omnia locupletas. O sancte sanctorum, Deus, tua clementiam humillima devotione deposcimus, ut hanc ecclesiam per nostræ devotionis famulatum in honore sanctæ et victoriosissimæ Crucis vel sancti martyris tui **N.**, purificare, benedicere, consecrareque perpetua sanctificationis tuæ

ubertate digneris. Hic quoque sacerdotes sacrificia laudis offerant, hic fideles populi vota persolvant. Hic peccatorum onera salvantur, fidelesque lapsi reparentur. In hac ergo, quæsumus, Domine, domo tua Spiritus Sancti gratia egroti sanentur, infirmi recuperentur. Claudii curentur, leprosi mundentur, ceci illuminentur, demonia eiiciantur, cunctorum debiliū incommoda, te, Domine annuente, pellantur, omniumque vincula peccatorum absolvantur, ut omnes, qui hoc templum beneficia iusta deprecaturi ingrediuntur, cuncta se impetrasse, lætentur, ut concessa misericordia, quam precantur, perpetuo miserationis tuæ munere gloriantur. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filiū tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem.

105. *Hac completa oratione ascendat episcopus ad altare, et fun/53'/dat aquam benedictam ad basim altaris per circuitum, et incipiat antiphonam, schola prosequente:*

Introibo ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat iuventutem meam.

106. [Psalmus:]

IUDICA me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo et doloso erue me. Quia tu es, Deus, fortitudo mea. Quare me reimpulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus? Emitte lucem tuam et veritatem tuam. Ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua. Et introibo ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat iuventutem meam. Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus. Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus. Introibo ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat iuventutem meam.

107. *Dicto autem psalmo, et antiphona repetita, dicat episcopus:*

Oremus.

108. *Diaconus:*

Flectamus genua.

109. [Oratio:]

SINGULARE illud propitiatorium in altare crucis pro nobis redimendis oblatum, in cuius præfiguratione patriarcha Iacob lapidem erexit in titulum, quod fieret in sacrificium, et portæ cæli desuper aperiretur oraculum, supplices tibi, Domine, preces fundimus, ut lapidis huius expolitam materiem supernis /54'/ sacrificiis imbuendam, ipse tuæ dotari sanctificationis ubertate præcipias, qui quondam lapideis legem scripsisti in tabulis.

110. *His autem peractis, domnus episcopus cum clero et populo vadat sollemniter ad tentorium, ubi præterita nocte reliquiæ cum vigiliis pernoctaverunt, et introitu tentorii dicat: Oremus. Oratio:*

PATEANT aures misericordiæ tuæ, quæsumus, Domine, precibus supplicantium, et ut petentibus desiderata concedas, fac eos, quæ tibi sunt placita postulare. Per Christum.

111. Item aliam dicat orationem subsequentem:

Oremus.

112. Oratio:

FAC nos, q̄sumus, Domine, sanctorum tuorum specialiter tibi dicata membra contingere, quorum cupimus patrocinia incessanter habere. Per Christum Dominum nostrum.

113. Tunc interim pr̄parati duo sacerdotes induti casulis recipiant feretrum cum reliquiis sepeliendis super humeros suos, tertio sacerdote vel clero tenente sub reliquiis turribulum cum incenso et reliquiis turificante, et cappellani incipiant antiphonam:

O quam gloriosum est regnum, in quo cum Christo gaudeant omnes sancti, amicti stolis albis secuntur agnum, quocumque ierit. Euouae.¹ 1541

114. [Psalmus:]

VENITE, exsultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro. Pr̄occupemus faciem eius in confessione, et in psalmis iubilemus ei. Quoniam Deus magnus Dominus, et rex magnus super omnes deos. Quia in manu eius sunt omnes fines terr̄e, et altitudines montium ipsius sunt. Quoniam ipsius est mare et ipse fecit illud, et siccam manus eius formaverunt. Venite, adoremus et procidamus et ploremus ante Dominum, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster. Et nos populus pascūe eius et oves manus eius. Hodie, si vocem eius audietis, nolite obdurare corda vestra. Sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto. Ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt, et viderunt opera mea. Quadraginta annis offensus fui generationi² illi, et dixi: Semper hi errant corde. Et isti non cognoverunt vias meas, quibus iuravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio et nunc et semper et in s̄cula s̄culorum. [R.] Amen.

115. Posth̄c autem procedant e tentorio, cruce procedente, et feretro cum reliquis duobus sacerdotibus deferentibus casulis indutis. Episcopus cum clero circuiant ter ecclesiam, et schola in exitu de tentorio incipiat can/55/1tare antiphonam:

Surgite sancti de mansionibus vestris, loca sanctificate,³ plebem benedicite, et nos homines peccatores in pace custodite, alleluia.

116. Item aliam antiphonam, si necesse fuerit, cantet clerus:

Cum iucunditate exhibitis, et cum gaudio deducemini, nam et montes et colles exsiliunt expectantes vos cum gaudio, alleluia.

¹ Alia manus add.

² Coni. Ms. generatione.

³ Orig. corr. de sanctificata.

117. Item dicat et tertiam antiphonam, si necesse fuerit:

Oremus, dilectissimi, nobis Deum Patrem omnipotentem, ut cunctis mundum purget erroribus, morbos auferat, famem depellat, aperiat¹ carcerem, vincula dis solvat, peregrinantibus reditum, infirmantibus sanitatem, navigantibus portum salutis indulgeat, et pacem tribuat in diebus nostris, insurgentesque depellat inimicos, et de manu inferni liberet nos propter nomen suum, alleluia.

118. Alia:

De Ierusalem exeunt reliquia, et salvatio de monte Sion, propterea protectio erit huic civitati, et salvabitur propter David famulum eius, alleluia.

119. [Alia antiphona]: 156¹

Surgite, sancti, de mansionibus vestris, loca sanctificate, plebem benedicite, et nos, homines peccatores in pace custodite, alleluia.

120. [Alia antiphona]:

Cum iucunditate exhibitis, et cum gaudio deducimini, nam et montes et colles exsiliunt expectantes nos cum gaudio, alleluia.

121. [Alia antiphona]:

Omnipotens Deus, supplices te rogamus et petimus, ut intercessio archangelorum sit pro nobis ad Dominum: Michaelis et Gabrielis similiter et Raphaelis, ut digni offeramus Domino hostias ad altare, et appareamus ante Salvatorem per intercessionem novem ordinum¹ angelorum, thronorum et dominationum, principatum² et potestatum et virtutum³ et cherubim et seraphim, ut ipsi intercedant pro nobis, qui non cessant clamare voce: sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, rex Israel, qui regnas sine fine, dignare nos famulos tuos hodie exaudire, alleluia.

122. [Alia antiphona]:

Omnipotens Deus, maestorum consolatio, laborantium fortitudo, perveniant ad te preces, dequacunque tribulatione clamantium, ut omnes sibi in necessitatibus suis misericordiam⁴ tuam gaudeant advenisse, alleluia.

123. [Alia antiphona]:

Salvator mundi, salva nos omnes, sancta Dei Genitrix, virgo semper, Maria, ora pro nobis precibus quoque sanctorum apostolorum martyrum et confessorum atque sanctorum virginum suppliciter petimus, ut a malis omnibus nunc et semper perfrui mereamur, alleluia.

¹ Coni. Ms. ordinem.

² Coni. Ms. principatum.

124. [Alia antiphona]:

Iniquitates nostras aufer a nobis, Pater omnipotens, ut hoc templum tuo nomini dedicatum puris mereamur mentibus introire, Sancta Maria cum istis omnibusque sanctis intercedentibus, caelestes portas 157¹ nobis dignare aperire.

125. [Alia antiphona]:

Cum veneris ante conspectum Domini in die iudicii, ubi assistunt milia milium et deciens centena milia angelorum, achangeorum, cherubim et seraphim, ibi sanctorum turma circumastat patriarcharum, prophetarum, apostolorum, et martyrum, et omnia agmina sanctorum, quia tunc erit iudicium, in quo sine testibus omnia manifesta erunt, alleluia.

126. Post tertium vero circuitum duo sacerdotes ferentes feretrum stent in ostio ecclesiae, ita, quod unus ab una parte et alius ab altera, episcopus autem ascendat ad locum eminentiorem, et proponat plebi verbum Domini, et faciat con/58^r/fessionem communem vulgariter, et post hæc faciat absolutionem, et faciat indulgentiam, sicut sibi videtur. Et post vocet patronos ecclesiae consecrandae vel parochianos, et ordinet cum eis de dotae ecclesiae, et inducat eos, ut docent ecclesiam suam, et de bonis a Deo sibi [c]ollatis iuvent ipsam, cum sine eorum iuvamine ipsa non possit stare ecclesia. Et hiis peractis descendat episcopus de excelso, et stans ante fores ecclesiae, dicat hanc orationem: Oremus.
Oratio:

DOMUM tuam, quæsumus, Domine, clementer ingredi, et in tuorum cordibus fidelium perpetuam tibi construe mansionem, et præsta, ut domus hæc, quæ tua subsistit dedicatione sollempnis, tua fiat habitatione sublimis. Per Christum.

127. Et dicta oratione det episcopus feretrum cum reliquiis in manus patronorum vel parochianorum introducendum in ecclesiam. Ipse autem episcopus manu dextra tenens cornu feretri, introducat in ecclesiam incipiens antiphonam, quam schola sequatur:

Ingredimini, benedicti Domini, preparata est enim a Domino habitatio sedis vestrae, sed et populus fidelis cum gaudio [et]¹ sequitur iter vestrum, 158¹ ut oretis pro nobis maiestatem Domini, alleluia.

128. Et cantata antiphona ascendat episcopus ad altare, et super lapidem, qui superponendus est, aptari faciat crucem de chrismate cum pollice subteriori, dicens:

In nomine Patris est Filii et Spiritus Sancti.

129. Et post hæc in confossione sive in sepulchro in quo sanctorum reliquiae sunt ponendae, per quatuor latera faciat crucem de chrismate cum pollice, dicens ad quemlibet crucem:

Sanctificetur hoc sepulchrum, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

130. Post hoc accipiat reliquias, imponat in confossione, et incipiat antiphonam, clero prosequente:

Exsultabunt sancti in gloria, letabuntur in cubilibus suis.

¹ Orig add.

131. *Cum psalmo:*

CANTATE Domino canticum novum, laus eius in ecclesia sanctorum. Lætetur Israel in eo, qui fecit eum, et filiæ Sion exsultent in rege suo. Laudent nomen eius in choro et tympano, in psalterio psallant ei. Quia beneplacitum est Domino [in populo] suo, et exaltabit mansuetos in salutem. Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Exsultationes Dei in gutture eorum, et gladi[i] ancipites¹ in manibus eorum. Ad faciendam vin/59/dictam in nationibus, et increpationes in populis. Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis. Ut faciant in eis iudicium conscriptum, gloria hæc est omnibus sanctis eius. Laudate Dominum in sanctis eius, laudate eum in firmamento virtutis eius. Laudate eum in virtutibus eius, laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius. Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in [p]salterio et cithara. Laudate eum in tympano et choro, laudate eum in chordis et organo. Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis, omnis spiritus laudet Dominum. Gloria Patri et Filio. Sicut erat in principio.

132. *[Repetatur antiphona:]*

Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur.

133. *Et ponat episcopus tabulam super reliquias, et liniat bene de calce, et incipiat antiphonam, schola prosequente:*

Sub altare Domini sedes accepistis, intercedite pro nobis ad Dominum Iesum Christum.

134. *Cum psalmo:*

EXSULTATE Deo, adiutori nostro, iubilare Deo Iacob. Sumite psalmum et date tympanum, psalterium iucundum cum cithara. Buc[c]inate in neomenia tuba, insigni die sollemnitatis vestræ. Quia præceptum in Israel est, et iudicium Deo Iacob. Tes/61/timonium in Ioseph posuit illud, cum exiret de terra Ægypti, linguam, quam [non] noverat, audivit: Divertit ab oneribus dorsum eius, manus eius in cophino servierunt. In tribulatione invocasti me, et liberavi te, et exaudivi te in abscondito tempestatis, probavi te apud aquam contradictionis. Audi, populus meus, et contestabor te, Israel, si audieris me, non erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum. Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, dilata os tuum, et implebo illud. Et non audivit populus meus vocem meam, et Israel non intendit mihi. Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. Si populus meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset. Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, et super tribulantes eos misissem manum meam. Ini[m]ici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus eorum in sæcula. Et cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos. Gloria Patri ... Sicut erat in principio.

¹ *Coni. Ms.* anticipes.

135. Cantato psalmo et repetita antiphona, dicat hanc orationem: Oratio:

DEUS, qui ex omni [... sanctorum tuorum æternum maiestas con]cedis¹ habitaculum, da ædificationi tui tuæ incrementa cælestia, ut quorum reliquias pio amore complectimur, eorum semper meritis adiuvemur. Per Christum Dominum. /60'/

136. Post hæc deferatur incensum, et episcopus turificet altare in modum crucis, et incipiat antiphonam, quam schola prosequatur:

Dirigatur, Domine, <ad te>² oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.

137. Item incipiat aliam antiphonam, quam clerus prosequatur:

Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini, alleluia.

138. Post hæc de oleo sanctificato ad catechumenos faciat episcopus crucem in medio altaris, hoc est lapidis superpositi, et per quattuor angulos altaris sive lapidis, et ungat ipsum lapidem de oleo sanctificato, et per unamquamque crucem sive unctionem dicat:

CONSECRARE et sanctificare digneris, Domine, lapidem istum per istam [sanctam unctionem et]³ benedictionem nostram. Per Christum Dominum.

139. Et diaconus:

Amen.

140. Episcopus vero:

Pax tecum.

141. Diaconus autem:

Et cum spiritu tuo.

142. Interim tamen cappellani cantent:

Erexit Iacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper. Euouae.⁴

143. [Psalmus:]

QUAM dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit et deficit /60'/ anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum. Etenim [passer]⁵ invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos. Altaria tua, Domine virtutum, rex meus et Deus meus. Beati, qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te. Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in

¹ Orig. del. pluris quam unius lineæ, add. pro ea.

² Orig. del.

³ In margine.

⁴ Alia manus add.

⁵ Orig. corr.

corde suo disposuit in valle lacrimarum, in loco, quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam, auribus percipe, Deus Iacob. Protector noster, aspice, Deus, et respice in faciem Christi tui. Quia melior est dies una in atriis tuis super milia. Elegi abiectus esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Quia misericordiam et veritatem diligit Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus. Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia, Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te. Gloria Patri. Sicut erat.

143. Et iterum cantato psalmo, et antiphona repetita, iterato de oleo sancto faciat pontifex crucem in medio altaris sive lapidis superpositi, et ad quamlibet unctionem vel crucem, dicat:

CONSECRARE et sanctificare digneris, Domine, lapidem istum per istam unctionem et nostram benedictionem. Per Christum Dominum.

144. Et diaconus: /61'/

Amen.

145. Episcopus vero:

Pax tecum.

146. Diaconus autem:

Et cum spiritu tuo.

147. Sed interim clerus cantet antiphonam:

Mane surgens Iacob, erigebat lapidem in titulum, fundens oleum desuper, votum vovit Domino, vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam.

148. Cum psalmo:

DEUS noster refugium et virtus, adiutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. Propterea non timebimus, <non>¹ dum turbabitur terra, et transferuntur in cor maris. Sonuerunt et turbatæ sunt aquæ eorum, tu[r]bati sunt montes in fortitudine eius. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio eius, non commovebitur, adiuvabit eam Deus mane diluculo. Conturbatæ sunt gentes et inclinata sunt regna, dedit vocem suam, mota est terra. Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob. Venite et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram auferens bella usque ad finem terræ. Arcum conteret et confringet arma, et scuta comburet igni. Vacate /61'/et videte, quoniam ego sum Deus, exaltabor in gentibus et exaltabor in terra. Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob. Gloria Patri et Filio. Sicut erat in principio.

¹ *Orig. del.*

149. Item tertia vice accipiat chrisma, et similiter faciat crucem in medio altaris sive lapidis cum chrismate et «et» per quattuor angulos,¹ dicens:

CONSECRARE et sanctificare digneris, Domine, lapidem istum per istam unctionem et nostram benedictionem. Per Christum Dominum.

150. Et diaconus:

Amen.

151. Episcopus vero:

Pax tecum.

152. Diaconus autem:

Et cum spiritu tuo.

153. Interim autem cantent cappellani antiphonam:

Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.

154. Cum psalmo:

FUNDAMENTA eius in montibus sanctis, diligit Dominus [portas Sion] super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Memor ero Rahab et Babylonis scientium me. Ecce, alienigenæ et Tyrus et populus Æthiopum, hi fuerunt illic. Numquid Sion dicet: Homo et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus. Dominus narrabit in scripturis populorum et principum, horum, qui fuerunt in ea. Sicut lætantium omnium nostrum, habitatio est in te. Gloria Patri et Filio. Sicut erat.

145. Antiphona:

Ecce odor filii.

146. Postea vero cantato psalmo, et antiphona repetita, accipiat episcopus turibulum cum incenso, et turificet altare tribus vicibus, semper repetendo antiphonam, quam cappellani prosequantur. Antiphona:

Ædificavit Moyses altare Domino Deo.

147. Et iterum:

Ædificavit Moyses altare Domino Deo. Ædificavit Moyses altare Domino Deo.

148. Post hæc dicat hanc orationem: Oremus.

DEUS, qui ex omni coap[ta]tione sanctorum tuorum æternum tibi condis habitaculum, da ædificationi tuæ incrementa cælestia, ut quorum reliquias hic pio amore amplectimur, eorum semper meritis adiuvemur. Per.

¹ *Coni. Ms.* angelos.

149. Post hæc accipiat episcopus quinque grana turis grossa, et ponat unum in medio altaris, et alia quattuor ponat in quattuor angulis altaris, et incedat de candela omnia quinque, episcopus incipiat graduale,¹ cantando quod cappellani prosequantur:

Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo, Domine. V. Elevatio manu[u]m mearum sacrificium vespertinum.

150. Et post hæc prosequenter, dicat: Oremus. Oratio: /62^v/

DOMINE, sancte Pater omnipotens æterne Deus, clemens et propitius preces nostræ humilitatis exaudi, et respice ad huius altaris holocaustum, quod non igne visibili probetur, sed infusum Sancti Spiritus gratia in odorem tuæ suavitatis ascendat, et legitime se sumentibus eucharistia, medicabilis fiat, et ad vitam proficiat sempiternam. Per.

151. Post hæc dicat episcopus hanc præfationem «ad» altaris:

DEI omnipotentis Patris misericordiam deprecemur, dilectissimi fratres, ut hoc altare sacrificiis spiritualibus consecrandum, vocis nostræ exoratus officio præsentis benedictione sanctificet, et in eo semper oblationes famulorum suorum studio suæ devotionis impositas benedicere et sanctificare dignetur, ut spirituali placatus incenso præcanti familiæ suæ promptus exauditor assistat.

152. Et post hæc dicat episcopus:

Oremus.

153. Diaconus:

Flectamus genua. Levate.

154. [Oratio:]

DEUS omnipotens, in cuius honore hoc altare sub invocatione tui nominis consecramus, clemens et propitius preces nostræ humilitatis exaudi, et præsta, ut in hac mensa sint tibi accepta libamina, sint grata, sint pingua, et Sancti Spiritus tui semper rore perfusa, ut omni tempore in hoc loco supplicantis tibi familiæ tuæ anxietates releves,² ægritudinis cures, preces exaudias, vota suscipias, desiderata confirmes, postulata concedas, ut /63^v/ donum gratiæ tuæ sani illi, beatique pervenire mereantur. Per.

155. Tunc dicat episcopus excelsa voce:

[V.] Per omnia sæcula sæculorum.

[R.] Amen.

[V.] Dominus vobiscum.

[R.] Et cum spiritu tuo.

¹ *Coni. Ms.* gladiare.

² *Orig. corr. Ms.* reve[...]s. *Forsitan* reveles.

[V.] Sursum corda.

[R.] Habemus ad Dominum.

[V.] Gratias agamus Domino Deo nostro.

[R.] Dignum et iustum est.

156. Præfatio:

UET iustum est, æquum et salutare. Nos tibi semper et ubique gratias agere. Domine, sancte Pater, omnipotens æterne Deus. Et ut propensiori cura et attentiori famulatu tibi servitutis officia deferamus, hoc præsertim in tempore, quo religiosarum mentium habitum ultra parietum ornatum delegisti, et in quo sanctorum tuorum mentio habetur *hic recitet nomina sanctorum, quorum reliquiæ in ipso altari sunt sepultæ* per quorum sacram reverentiam et honorem sacratissimo nomini tuo hoc altare dedicamus. Horum igitur, Domine, efflagitatus precibus, dignare hoc altare cælesti sanctificatione perfundere et benedicere, as[s]istant angeli claritatis, et Sancti Spiritus illustratione perfulgeat. Sit quoque illius apud te gratiæ, cuius fuit illud, quod Abraham pater fidei in nostræ figura redemptionis filium immolaturus extruxit, quod Isaac in conspectu tuæ maiestatis instituit, quod Dominum Iacob visione magna videns, erexit, ut hic orantes exaudias, /63/ hic oblata sanctifices, hicque superposita benedicas, hinc benedicta distribuas. Sit ergo ecclesiæ tuæ titulus sempiternus, sit mensa cælestis, spirituali convivio præparata. Tu ergo, Domine, proprio ore tuo hostias super eam impositas benedicito, et benedictas suscipito, atque nobis omnibus tribue, ut participatione earum acquiramus vitam æternam. Per.

157. Post hæc dicat hanc orationem:

MAIESTATEM tuam, Domine, humiliter imploramus, ut hoc altare sacræ unctionis libamine ad suscipienda populi tui munera inunctum potenter benedicere et sanctificare digneris, et quod nunc a nobis indignis sub tui nominis invocatione in honore et nomine sancti *illius*, sanctorum *illorum*, sacrosancti crismatis unctione est delibatum, placeat tibi, ac altare maneat in perpetuum, ut quicquid deinceps super illud oblatum sacratumque fuerit, dignum tibi holocaustum, atque omnium hic offerentium sacrificia a te pio Deo benigne suscipiantur, et per ea peccatorum nostrorum vincula absolvantur, maculæ deleantur, veniæ impetrentur, gratiæ acquirantur, quatenus una cum sanctis et electis tuis vitam percipere mereamur æternam. Per.

158. Post hæc autem, dicta præfatione, et lecta oratione, confirmet ipsum altare dominus episcopus, faciens crucem de chrismate cum pollice superius in fronte lapidis alta/64/ris, et incipiat antiphonam, quam clerus prosequatur cum Gloria Patri et Sicut erat in principio et [nunc et] semper. Antiphona:

Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis a templo sancto tuo, quod est in Ierusalem, alleluia, alleluia. Gloria Patri et Filio. Sicut erat in principio.

159. Et hac cantata antiphona, circuiat episcopus ipsam ecclesiam, faciens cum pollice duodecim cruces in lateribus ecclesiae cum chrismate in locis, ubi candelae accensae sunt, et schola incipiat et prosequatur. Antiphona:

*Hæc est domus Domini, firmiter ædificata, bene fundata supra firmam petram. Euouae.*¹

160. Cum psalmo usque in finem:

LAUDA, Ierusalem, Dominum, lauda Deum tuum, Sion. Quoniam confirmavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te. Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te.² Qui emittit eloquium su[u]m terræ, velociter currit sermo eius. Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit. Mittit crystallum suam sicut buccellam. Ante faciem frigoris eius quis sustinebit? Emittet verbum suum et liquefaciet ea, flavit spiritus eius, et fluent aquæ. Qui annuntiat verbum suum Iacob, iustitias et iudicia /64'/ sua Israel. Non fecit [t]aliter omni nationi, et iudicia sua non manifestavit eis. Gloria Patri et Filio. Sicut erat in principio.

161. Antiphona:

Hæc est domus.

162. Et si necesse fuerit, propter amplitudinem ecclesiae vel pontificis tepiditatem, ipsa antiphona ad quemlibet versum repetatur, post hæc autem ascendat episcopus ad altare, et cappellani vestiant altare cantantes antiphonam:

*Circumdate, Sion levitæ, altare Domino, et vestite illud vestimentis albis, et estote et vos canentes hymnum novum, dicentes: benedictus Dominus. Euouae.*³

163. [Psalmus:]

BENEDICTUS Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebi[s] suæ. Et erexit cornu salutis nobis in domo David, pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, prophetarum eius. Salutem ex inimicis nostris et de manu omnium, qui oderunt nos. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris et memorari testamenti sui sancti. Iusiurandum, quod iuravit ad Abraham, patrem nostrum, daturum se nobis. Ut sine timore de manu inimicorum liberati serviamus illi. In sanctitate et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Et /65'/ tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. Ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum meorum. Per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto. Illuminare his, quæ in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Gloria Patri et Filio. Sicut erat in principio.

¹ *Alia manus add.*

² *Orig. corr. Ms. satiate.*

³ *Alia manus add.*

164. Et repetatur antiphona. Antiphona:

Circumdate Sion. ‹Sicut erat in principio.›

165. ‹Et repetatur antiphona: Circumdate Sion.›

166. Et his peractis, accipiat episcopus turibulum cum incenso, et turificet altare tribus vicibus, incipiendo antiphonam, quam semper clerus prosequatur:

*Omnis terra adoret te, Deus, et psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo, Domine. Euouae.*¹

166. Et similiter secunda vice turificando, incipiat antiphonam Omnis terra. Et iterum tertia vice turificando, incipiat antiphonam Omnis terra. Post hæc dicat: Oremus. Oratio:

DEUS, qui loca nomini tuo consecranda sanctificas, presta auxilium gratiæ tuæ, ut quod nostra fragilitas non meretur, intercedente [beato Michal]² huc plenitudo Spiritus tui descendat, qui et munera nostra sanctificet et indulgentiam nobis tuæ misericordiæ obtineat.

167. Et lecta hac oratione, episcopus incipiat antiphonam, /65'/ quam cappellani prosequantur:

*Corpora sanctorum in pace sepulta sunt, et vivent nomina eorum in æternum. Euouae.*³

168. Episcopus dicat: Oremus. Oratio:

PROPITIARE, quæsumus, Domine, nobis indignis famulis tuis per sanctorum tuorum merita gloriosa, quorum reliquiæ in isto requiescunt altare, ut eorum intercessione ab omnibus semper protegamur adversis. [R.] Amen.

169. Hiis autem perhactis dompnus episcopus induat se sollemniter cum ministris ad missam cantandam. Et episcopo ascendente ad altare, cantor incipiat introitum ad missam:

Terribilis est locus iste, hic domus Dei est et porta cæli, et vocabitur aula Dei. Ps. Quam dilecta tabernacula Domini virtutum, concupiscet et deficit anima mea in atria Domini. Euouae.

170. Oratio ad missam:

DEUS, qui invisibi[li]ter omnia contines, et tamen pro salute humani generis signa potenciæ tuæ mirabiliter ostendis, templum /66'/ hoc potentia tuæ habitacionis illustra, ut omnes, qui huc deprecaturi conveniunt, exquacumque tribulatione clamaverint consolationis tuæ beneficia consequantur. Per.

¹ Alia manus add.

² Inter lineas, super rasuram. Sic, malim: Michael.

³ Alia manus add.

171. Lectio [libri Apocalypsis beati]¹ Ioannis apostoli:

VIDI civitatem sanctam, Ierusalem novam descendentem de cælo, a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Et audiavi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Ecce ipsi populus eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Et absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quæ prima abierunt. Et dixit, qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia.

172. Graduale:

Locus iste a Deo factus est, inestimabile sacramentum, irrepre[he]nsibilis est. V. Deus, cui assistant angelorum chori, exaudi preces servorum tuorum.

173. [Alleluia:]

Alleluia. Vox exultationis et salutis in tabernaculis iustorum. [V.] Quam dilecta tabernacula.

174. [Evangelium] secundum Lucam:

INGRESSUS Iesus perambulabat Ierico, et ecce vir, nomine Zacheus, et hic erat princeps publicanorum, et ipse dives. Et quærebat videre Iesum quis esset, et non poterat præturba, qui[a]² statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sicomorum, ut videret Iesum, quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum, suspici[ci]ens Iesus vidit illum, et dixit ad eum: Zachee, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, et excepit illum gaudens. Et cum viderent, omnes murmurabant, dicentes: Quod [ad] hominem peccatorem divertisset. Stans autem Zacheus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, et siquid aliquem de fraudavi, reddo quadruplum. Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus Domini huic facta est, eo quod et ipse sit filius Abrahæ, venit enim cum Filius hominis quærere, et salvum facere quod perierat.

175. Offertorium:

Domine Deus, in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa et populum tuum, qui repertus est vidi cum ingenti gaudio, Deus Israel custodi hanc voluntatem. Maiestas³ Domini <æ>adificavit templum videbant omnes filii Israel gloriam Domini descendentem super domum, et adoraverunt et collaudaverunt <runt> Dominum dicentes. V. Fecit Salomon sollemnitatem in tempore illo, fecit Salomon sollemnitatem in tempore illo, et speratus est et ap<a>paruit ei Dominus. 167¹

¹ Insertum superius ab alia manu.

² Orig. corr.

³ Ms. Magestas.

176. *Secreta:*

OMNIPOTENS sempiternae Deus, templum hoc, altare hoc nomini tuo dedicatum, caelestis virtutis benedictione sanctifica, ut omnibus in te sperantibus auxilii tui munus ostendas, ut hic et sacramentorum virtus et votorum obtineatur effectus. Per.

177. *Communio:*

Domus mea domus orationis vocabitur, dicit Dominus. In ea omnis, qui petit, accipit, et qui quaerit, invenit, et¹ pulsanti aperietur.

178. *Postcommunio:*

QUÆSUMUS, omnipotens Deus, ut in loco nomini tuo dedicato, cunctis petentibus aures tuæ pietatis accommodes. Per.

¹ *Corr. ab alia manu de a.*

X. Benedictio vestimentorum sacerdotalium seu leviter² atque [sequentis] ordinis [ministrantium]

1. *[Oratio]:*

OMNIPOTENS sempiternae Deus, qui per Moysen, famulum tuum pontificalia atque levitica vestimenta ad explendum in conspectu tuo ministerium sacrum et ad decorem seu laudem nominis tui fieri decrevisti, adesto propitius invocationibus nostris, et hæc indumenta sacerdotalia famuli episcopi vel sacerdotes tui desuper, gratia tua irrigante, in genti benedictione per nostræ humilitatis servitutem purificare, benedicere et consecrare digneris, ut divinis cultibus et sacris mysteriis /68/ apta et benedicta existant. His quoque sacris vestibus sacerdotes sive levitæ tui induti, defensi ab omnibus impu[li]sionibus³ seu tentationibus malignorum spirituum esse mereantur, tuisque mi[ni]steriis⁴ apte et digne servire et inhærere, atque in his placide et devote perseverare tribue, Salvator mundi. Qui tecum.⁵

2. *[Oratio]:*

VISIBILIUM et invisibilium rerum creator, Deus, adesto propitius invocationibus nostris, et hæc ornamenta sacris usibus præparata, tua gratia desuper irrigante,

² *Sic, malim:* leviticorum.

³ *Orig. add.*

⁴ *Orig. del.*

⁵ *Sic, malim:* Qui vivis ...

benedicere, sanctificare atque consecrare digneris. Qui vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. [R.] Amen.

2. Alia:

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. [R.] Amen.

3. Alia:

EXAUDI nos, Domine, quæsumus, ut hæc linteamina aliaque indumenta, nec non et vasa sancto altari tuo atque ecclesiæ tuæ cunctaque sacri ministerii usui præparata benedicere et sanctificare digneris. Per Dominum.

4. Ad corporale vel pro aliam:¹

OMNIPOTENS Deus, cuius inenarrabilis virtus, cuius mysteria arcanis miraculis celebrantur, tribue, quæsumus, ut hoc linteamen tuæ propitiationis benedictione sanctificetur, ad consecrandum super illud corpus Domini nostri Iesu Christi Filii tui. Qui [tecum vivit].²

5. Alia:

OMNIPOTENS sempiternæ Deus, benedic linteamen istud, ad regendum involvendumque corpus et sanguinem Filii tui Domini nostri Iesu Christi. Qui tecum vivit. /68ʹ/

6. [Oratio alia:]

DOMINE Deus, qui <iam>³ sanctificare dignatus es hoc genus specierum, quando eo dignatus es involvi corpus Domini nostri Iesu Christi unigeniti tui in beata passione, concede, quæsumus, per eundem Dominum nobis quoque⁴ indignis famulis tuis, ut præsens linteum cælesti benedictione sanctum et aptum fiat dominico sepulchro altari tuo, ut placabiliter possit in eo imponi corpus et sanguis eiusdem Domini nostri Iesu Christi, [qui]⁵ est vita omnium fidelium, fideliter sumentium, et vivit et regnat tecum, in unitate Spiritus Sancti, per omnia sæcula sæculorum. [R.] Amen.

7. Alia:

DEUS, qui generis humani salvatione verbum caro factum es, et habitare totus in nobis non dedignatus es, quique traditori tuo perfido osculum pium dedisti, dum pro mundi vita pius voluisti agnus mactari, atque in sindone linotexta a Ioseph totum te involvi permisisti, respice propitius ad preces nostras, qui tua fideliter chismata

¹ *Orig. del.*

² *In margine.*

³ *Orig. del.*

⁴ *Ms. quamque.*

⁵ *Orig. add.*

amplecti cupimus, sanctificare, benedicere consecrareque digneris hoc corporale in usum altaris tui, ad consecrandum super ea sive ad tegendum involvendumque corpus et sanguinem Filii tui Domini nostri Iesu Christi, dignisque pateat famula tibi, ut quod tibi sacrosanctum super hoc involabitur, sicut Melchisedec oblatum holocaustum, quod tibi acceptabile obtulit, sic nostra sacrificia acceptabilia fiant te quo/69/que humiliter rogamus ac petimus, ut hoc corporale tuæ sanctificationis ubertate per Spiritus Sancti gratiam purifies et sanctifies, qui te pro nobis omnibus sacrificium offerre voluisti, et præsta, ut super hoc sint tibi libamina accepta, sint grata, sint pingua, et Spiritus Sancti tui semper rore perfusa. [Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate eiusdem Spiritus Sancti per omnia.]¹ Per.

8. *Benedictio patenæ:*

OREMUS fratres carissimi, ut divinæ gratiæ benedictio consecret et sanctificet hanc patenam, ad conficiendum in ea corpus Domini nostri Iesu Christi, qui crucis passionem sustinuit pro salute omnium nostrorum. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit.

9. [Oratio:]

CONSECRAMUS et sanctificamus hanc patenam ad conficiendum corpus Domini nostri Iesu Christi in ea crucem patientis pro salute omnium nostrum. Qui cum.

10. *Inde faciat signum crucis de oleo super patenam, dicens:*

CONSECRARE et sanctificare digneris, Domine, patenam per istam unctionem et nostram benedictionem. In Christo Iesu Domino nostro. Qui tecum.

11. *Oratio:*

DOMINE Deus omnipotens, qui per Moysen famulum tuum tabernaculi tui altare et vasa omnia divino cultui mancipasti, clementiam tuam supplices deprecamur, ut hoc vas aptum cultibus tuis, dignumque altaribus reddas, ut sanctificatum in nomine tuo corporis tui præciosum ferculum reputetur. Qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti, per omnia sæcula sæculorum. [R.] Amen.

12. <...>² [Oratio:]

DEUS, qui post typicum /69/ pascha et esis agni carnibus panem ex catino sumere in proprii comparatione corporis, et discipulis distribuere dignatus es, te supplici devotione deposcimus, ut quicumque ex hac patena ore panem sacratum perciperit,¹ te, vivum et verum panem corde concupiscant et capiant, et benedictionem mereantur percipere sempiternam. Per te, Domine.

¹ *Orig. add.*

² *Orig del. rubricam unius lineæ.*

13. [Oratio:]

OREMUS, dilectissimi nobis, ut Deus et Dominus noster hunc calicem in suum ministerium cælestis gratiæ inspiratione sanctificet, et ei ad humanam benedictionem plenitudinem divini favoris accommodet. Per.

14. Consecratio calicis:

DIGNARE, Domine, calicem istum, in usum ministerii tui pia devotione formatum, ea sanctificatione perfundere, qua Melchisedec, famuli tui sacratum calicem perfudisti, et quod arte vel metalli [natura effici]² non potest dignum altaribus tuis [in]esse,³ fiat tua benedictione pretiosum. Per.⁴

15. Hic faciat crucem per quattuor latera:

OMNIPOTENS sempiternæ Deus, manibus nostris opem tuæ benedictionis infunde, ut per nostram benedictionem hic sanctificetur, et corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi novum sepulchrum Sancti Spiritus gratia perficiatur. Per.

16. Oratio:

DEUS, qui accepto et distributo pane vetus determinans pascha, et novum insinuans calicem accipiens benedixisti, discipulis tuis ad bibendum p̄ro[or]rexisti,⁵ quique in cruce pro mundi salute positus aquam ex latere proprio unacum sanguine profluxit⁷⁰superna sanctione voluisti, respice propitius ad humilitatis nostræ famulatum, et per te impositam benedictionem præsta, ut quicumque ex [isto]⁶ calice mysticam sanguinis tui memoriam mundato corde prægustaverint, peccatorum omnium a te misericordissimo veniam et gaudia impetrari mereantur æterna[m].⁷ Per.

17. Oratio:

DEUS, qui Moysi famulo tuo in Horeb monte servanda populo præcepta disponens templum sanctum tuum, qualiter ædificarent, instituisti, sacra quoque vasa, quæ inferri altari tuo deberent ad instar vasorum cælestium docuisti, precamur te Domine, ut hunc calicem, in quo celebraturi sumus, sacrosancta emissionem Sancti Spiritus cælesti benedictione sanctifices, gratumque et acceptabilem habeas atque benedicas, ac digne vasculis tuis sociatum et acceptabilem deferat famulatum et digne tuis mysteriis consecratur. Per.

¹ Sic, *malim*: perceperit.

² *In rasura*.

³ *Orig. add.*

⁴ *Orig. corr.*: Qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate.

⁵ *Orig. corr.*

⁶ *In rasura*.

⁷ *Orig. add.*

18. *Benedictio orarii:*

DEUS, qui solis prædicatoribus collum et pectus orario muniri concessisti, benedic, Domine, has stolas, et concede, ut quicumque tuorum sacerdotum huic stolæ colla subiecerint, quicquid boni ore protulerint, corde credant, et quod verbis protulerint, opere implere festinent. Per.

19. *Benedictio ad zonam:*

OMNIPOTENS æterne Deus, qui Aaron et filios eius in sacerdotali ministerio cingulo cum batheo in renibus stringi iussisti, /70/ adesto supplicationibus nostris, et præsta, ut omnes tuæ sanctæ operationis ministri hac zona iustitiæ circumsepti, renes lumbosque virtute sanctæ pudicitæ præcingere satagant atque valeant, quatenus nullo modo vento elationis et frigore iniquitatis tabescant, sed magis, magisque te opitulante confirmari et corroborari ad te placita queant. Per.

20. *Benedictio ad casulam:*

DEUS, fons pietatis et iustitiæ, qui tui operis ministros ad extremum vestimento casulæ, cuius munimine interius omnia teguntur vestiri sanxisti, concede petitionibus nostris, ut omnes hac planeta induti enumeratis omnium virtutum ornamentis vinculum perfectæ caritatis super omnia habeant, quo perficere, quæ desiderant, te præstante valeant. Per Dominum.

21. *Benedictio crucis:*

ROGAMUS te, Domine, sancte Pater, omnipotens æterne Deus, ut digneris benedicere hoc lignum crucis, ut sit remedium humano generi singulare, sit soliditas¹ fidei profectus bonorum operum, redemptio animarum profectio ac tutela contra sæva iacula inimicorum. Per Dominum nostrum.

22. *Præfatio:* Per omnia sæcula sæculorum. [R.] Amen. [V.] Dominus vobiscum. [R.] Et cum spiritu tuo. [V.] Sursum corda. [R.] Habemus ad Dominum. [V.] Gratias agamus Domino Deo nostro. [R.] Dignum et iustum est.

U... æterne Deus. Cuius sanctum et terribile nomen inter /71/ ceteras visibiles creaturas lingua² quoque frucifera³ laudare ac benedicere non cessant, qui in figura unigenitæ sapientiæ tuæ ligno vitæ a principio paradisi voluptatis adornasti, ut eiusdem fructus sacrosancti mysterio protoparentis nostri generis mortem cavere et vitam admoneres habere perpetuam, quique nos vitæ arboris a tactu iustæ morti addictos eiusdem coæternæ sapientiæ tuæ Dei et Domini nostri Iesu Christi innoxia morte ad vitam misericorditer revocare dignatus es, te supplices exoramus, ut hoc singulare signum, quod ad exemplum primi illius sacratissimi vexilli de pretioso

¹ *Rasura inter d et t.*

² *Sic, malim: ligna.*

³ *Sic, malim: fructifera.*

Filii tui sanguine triumphalis fidelium tuorum devotione compactum est, cælesti tua benedictione sanctificare digneris, ut omnibus hic genu flectentibus ac tuæ maiestati supplicantibus [et]¹ largior cordis compunctio et indulgentia concedatur, ad missorum, atque intercedente ipsa victoriosissima Unigeniti tui passione et tibi placita postulare et citius valeant postulata percipere.

23. Oratio:

DA, quæsumus, clementissime Pater, in quo vivimus, movemur et sumus, ut quotiens triumphum divinæ humilitatis, quæ superbiam nostri hostis deiecit oculis intuemur, quotiens mente recolimus, et contra hostem ipsum fiduciam /71'/ fortitudinis et maiorem devotæ tibi humilitatis gratiam consequamur, quatenus in illo tremendo ipsius maiestatis examine cum paventibus elementis cælorumque virtutibus commotis signum illud glorificum redemptionis nostræ apparuit in cælo, ipsi de morte ad vitam transire ac perpetua beatæ resurrectionis gaudia videre mereamur. Per.

24. Benedictio crucis:

BENEDIC, Domine, hanc crucem tuam, per quam eripuisti mundum a potestate dæmonum, et superasti passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per per ligni venti² præsumptionem. Per.

25. Hic turificet:

SANCTIFICA, Domine, signaculum istud passionis tuæ, ut sit inimicis tuis obstaculum, et credentibus in te perpetuum perforce vexillum. Per ... qui cum Deo.

26. Benedictio peræ:

DOMINE Iesu Christe, qui tua ineffabili miseratione Patris visio Spiritus Sancti cooperatione de cælo descendere, ovemque³ perditam diabolica seductione voluisti quærere, atque propriis humeris ad cælestis patriæ gregem referre, quique præcepisti natis matris ecclesiæ orando petere, benevivendo quærere ac pulsando perseverare quotiens invenire valeant salutaris præmia vitæ te humiliter imploramus, clementissime Domine, quatenus sanctificando benedicere atque benedicendo hanc peram /72'/ digneris sanctificare, ut, quicumque eam pro tui nominis amore instar humilis armaturæ lateri suo applicare, sicque peregrinando suffragia sanctorum, humili comitante devotione, studuerint quærere, dextra tuæ protecti munimine pervenire mereantur ad gaudia mansionis æternæ. Qui vivis et regnas cum eodem Patre et Spiritu Sancto per omnia sæcula sæculorum. [R.] Amen.

¹ *Orig. add.*

² *Sic, malim:* vetiti.

³ *Orig. corr. de omnemque.*

27. Ad dandam peram:

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis sit tibi iugum Christi mansuetum et leve, ut suæ protectionis, custodia te ubique comitante, ad portum salutifere remissionis misericorditer merearis attolli, atque æterna beatitudine feliciter perfrui. Per Christum.

28. Ad dandam baculum:

ACCIPE baculum sustentationis vel defensionis Domini nostri Iesu Christi, quo sustentante, gressus itineris tui firmiter pergere ac fortiter resistere valeas venenosis impulsibus serpentis antiqui. Per eundem.

29. Ad signum ecclesiæ benedicendum:¹

BENEDIC, Domine hanc aquam benedictione cælesti, et assistat super eam virtus Spiritus Sancti, ut cum hoc vasculum ad vitandos filios ecclesiæ præparatum in ea fuerint cincti, ubicumque sonuerit tintinnabulum, longe recedat virtus inimicorum, umbra phantasmatum, incurio turbinum, percussio fulminum, læsio tonitruum, calamitas tempestatum, omnesque /72/ spiritus procellarum, ut cum clangorem illius audierint filii Christianorum, crescat in eis devotionis augmentum, ut festinantes ad pietatis ecclesiæ gremium, cantent tibi canticum novum in ecclesia sanctorum, deferentes in sono tubæ præconium, modulationem per psalterium, exultationem per organum, suavitatem per tympanum, iucunditate per cymbalum, quatenus invitare valeant in templo sancto tuo suis obsequiis et precibus exercitum angelorum. Per Dominum ... in unitate.

30. Post hæc cantentur psalmi *Lauda anima mea Dominum usque in finem psalterii, et dum cantas, laves cloacam de aqua benedicta cum oleo benedicto et sale benedicto, et dicis hanc orationem:*

DEUS, qui per beatum Moysen legiferum tubas argenteas fieri præcepisti, quas dum levitæ tempore sacrificii clangerent sonitu dulcedinis populus monitus ad orandum te fieret præparatus, carum clangere hortatus ad bellum tela prosternerent adversantium, præsta, ut hoc vasculum tuæ ecclesiæ preparatum sanctificetur a Spiritu Sancto, ut per illius tactum fideles invitentur ad præmium, et cum melodia illius auribus insonuerit populorum, crescat in eis devotio fidei procul pellantur omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum, temperentur infesta tonitrua ventorum, flaba fiat salubriter ac moderate suspensa prosternas ærias potestates /73/ dextera tuæ virtutes, ut hoc audientes tintinnabulum tremiscant et fugiant ante crucis vexillum. Per eiusdem.

¹ *In margine:* benedictio campanæ.

31. *Tunc exerges eam linteo et dicas hanc antiphonam:* Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas. *Antiphona* Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia usque finem psalmi. *Post hæc tanges foris septies de chrismate, intus¹ quater, et dicas hanc orationem:*

OMNIPOTENS sempiternæ Deus, qui ante arcam fœderis et clangorem tubarum muros lapideas, quibus adversantium cingebatur, exercitus cadere fecisti, tu hoc tintinnabulum cœlesti benedictione perfunde, ut ante sonitum eius longius effugentur ignita iacula inimici percussio fulminum impetus lapidum, læsio tempestatum, ut ad interrogationem propheticam: « Quid est tibi mare, quod fugisti? », suis montibus, cum Iordanico retroacto fluento respondeant. A facie Domini mota est terra, a facie Dei Iacob, qui convertit solidam petram in stagna aquæ, et rupem in « stagna aquæ et rupem in » fontes aquarum. non ergo nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. super misericordia tua et veritate tua, ut cum præsens vasculum sicut reliqua altaris vasa sacro chrismate tangitur, et ungitur oleo sancto, quicumque ad sonitum eius convenerint, ab omnibus inimici tentationibus liberi semper fidei catholicæ documenta sectentur. Per eiusdem.

32. *Tunc ponens incensorio ignem et thymiama et myrrham, et erigens cloacam super incen/73'/sorium, ut totum fumum colligat, dicens antiphonam:* Deus in sancto, via tua, quis deus magnus sic Deus noster. *Antiphona* Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ. *Oratio:*

OMNIPOTENS dominator, Christe, cui secundum assumptionem carnis dormienti in navi, dum orbata tempestas maria conturbasset, te protinus excitato et imperante dissiluit, tu necessitatibus populi tui benignus succurre, ut hoc tintinnabulum Sancti Spiritus rore perfunde, ut ante sonitum illius semper fugiat inimicus, invitetur ad fidem populus Christianus, hostilis terreatur exercitus, confortetur in Domino per eum populus evocatus, atque, sicut super davidicam cytharam delectatus desuper descendat Spiritus Sanctus, atque, ut Samuele agnum mactante in holocaustum tuum rex æterni imperii fragor au[r]arum² turbam repulit adversantem, ita, dum huius vasculi sonitus transit per nubila ecclesiæ conventum manus servet angelica, fruges credentium, et mentes et corpora salvet protectio sempiterna. Qui vivis.

33. *Benedictio ad stolam:*

DOMINE Deus, Pater omnipotens, rex et magnificus triumphator, qui per sanctos patres nostros, qui tibi in sacerdotali ordine placuerunt, diversi generis ornamenta et vestimenta sacerdotalia fieri, et his ornari sacerdotes tibi servientes iussisti, exaudi propitius orationes nostras, et hanc stolam /74'/ dextera tua sancta benedicere, consecrare, sanctificare digneris, quatenus hæc stola ministris tuis, levitis ac sacerdotibus ad divinum cultum ornandum explendumque proficiat, sanctisque altaribus tuis munde et ornate in his sacris vestibis ministraturi irreprehensibiles in actu et victu, interius exteriusque appareant, tibi que soli Deo puro corde et mundo corpore omnibus diebus vitæ suæ servire valeant, nec non omnes, qui eam portaverint septiformi

¹ *Coni. Ms.* iustus.

² *Orig. add.*

Spiritus Sancto largiter mundator replere dignare, atque castitatis stola et indumento lætitiæ sempiternæ, et beata facias eos, precamur, cum bonorum operum fructu ministeriis congruentibus immortalitate vestiri, præstante Domino nostro Iesu Christo.

XI. Reconciliatio violatæ ecclesiæ

1. *Canones iubent, si homicidium in ecclesia perpetratum fuerit aut polluantur, tunc reliquiæ de altari tollantur, et in quodam sacro loco reseruentur, quoad ad usque intus ecclesia mundatur et benedicatur. Primum veniat episcopus ante ipsam ecclesiam cum clero et populo, et dicat hanc orationem: Oremus. Oratio:*

OMNIPOTENS et misericors Deus, qui sacerdotibus tuis præ ceteris tantam gratiam contulisti, ut quicquid in tuo nomine digne perfecteque ab *174*¹ eis agitur, a te fieri credatur, quæsumus ergo immensam clementiam tuam, ut quod modo visitaturi sumus [visites et quodquod benedicturi sumus],¹ benedicas, sitque ad nostræ humilitatis introitum sanctorum tuorum meritis fuga dæmonum, angeli pacis ingressus. Per.

2. *Alia:*

AUFER [a]² nobis, quæsumus, Domine, iniquitates nostras, ut ad loca nomini tuo purificanda puris mentibus mereamur accedere. Per.

3. *Tunc intret episcopus ecclesiam cum clero et litania. Hac peracta, dicat:*

Oremus.

4. *Et diaconus:*

Flectamus genua. Levate.

5. *Oratio:*

DEUS, qui peccati veteris hereditariam mortem in qua posteritatis genus omne successerat, Christi Filii tui Domini nostri passione solvisti, da propitius, ut conformes eiusdem facti, sicut imaginem terreni parentis naturæ necessitate portavimus, ita imaginem cælestis gratiæ sanctificatione portemus, eiusdem Christi Domini nostri, qui tecum vivit.

6. *Et benedicat aquam et salem cum vino et cinere mixtam, sicut supra scriptum est in ordine dedicationis³ ecclesiæ, et circumeat ter ecclesiam intrinsecus spargendo et cantando antiphonam Asperges me*

¹ *In margine.*

² *Orig. add. rubro.*

³ *Orig. corr. de dedicatum.*

cum psalmo Miserere mei Deus *per totum, lavando et purificando loca contaminata. Post hæc sequitur oratio: /75/*

DEUM indultorem criminum, Deum sordium mundatorem, Deum, qui concretum peccatis originalibus mundum adventus sui nitore purificavit, fratres carissimi, supplices deprecemur, ut contra diaboli furentis insidias fortis nobis propugnator assistat, ut si quid eius virosa caliditate cottidianis insectationibus maculatum in isto loco invenitur, atque corruptum efficiatur cælesti miseratione purgatum, quod fuerat diabolica fraude vitiatum, quia, sicut illius solidum perfectumque quassare est, ita auctoris nostri est lapsa restituere, nutantia stabilire, qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto.

7. [Præfatio:] Per omnia sæcula sæculorum. Dominus vobiscum. [R.] Et cum spiritu tuo. Sursum corda. [R.] Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. ...

U... æterne Deus, cuius bonitas, ut non habuit principium, neque terminum habebit, qui divina naturalique pietate plenus eligis in nobis magis restituere perdita, quam percutere peritura, et si quid vel negligentia polluit, vel ira committit aut stimulat ebrietas, vel libido subvertit, clementi patientia sustines, ut hoc antea per gratiam purifices, quoniam percutias per furorem et operis tui providus placatus eligis potius /75/ erigere iacentia, quam punire damnanda. Te supplices depræcamur, ut in huius tabernaculi receptaculo negligentiae plagas aspicias, et altare tuum, quod insectantis est inimici fraude pollutum, per infusionem gratiæ cælestis purifices, purificatumque possideas. Absint in posterum omnes spirituales nequitiae et eliminentur, extinguatur antiqui hostis invidia, et cum fraudibus suis diaboli turba pellatur, efferat secum maculam, quam ingessit, et perennibus suppliciis quandoque deputandus operum suorum semina secum colligat peritura, nihil in posterum noceat præteriti culpa contagii, nihil sit, quod remaneat inimici fraude pollutum, quando quidem per Spiritus tui infusionem constat esse purgatum. Resurgat ecclesiae tuæ pura simplicitas et candor innocentiae hactenus maculatus, dum receperit gratiam, resurgat ad gloriam, ut populorum istic turba fidelium conveniens, dum peti[tionis] ingerit vota, votorum se sentiat obtinuisse suffragia.

8. *Antiphona* Confirma hoc, Deus *cum versu* Narrabo nomen tuum fratribus meis *et* Gloria Patri.

XII. Ordo ad abbatem faciendum

1. In ordinatione abbatis episcopus debet missam celebrare et eum benedicere, inclinato capite /76/ cum duobus vel tribus de fratribus suis, et dat ei baculum et pedules ante evangelium, benedicat eum, faciatque prius de eo sermonem ad populum, dicens: Allocutio:

ECCLLESIE nostræ, fratres carissimi, pater electus suum adest ordinem [ad] suscipiendum. Unde apostolica prius eum censemus auctoritate examinandum, suum propositum et Sancti Benedicti regulam, si velit ipse observare sibi subiectos, ut id

ipsum faciant diligenter instruere, res ecclesiæ dispersas iniuste, quantum prævalet, congregare, et eas in usus fratrum et ecclesiæ reservare pauperum quoque ac peregrinorum curam gerere, sicque dignum esse ad ordinem accedere.

2. *Eo autem profitente pro viribus, se hæc adimplere prosternat se episcopus ante altare, et abbas sacris vestibus indutus, fiant ibi litanix. Sequitur:*

Pater noster ... Et ne nos.

3. *Deinde dicat preces:*

Salvum fac servum tuum. [R.] Deus meus, sperantem.
 Dominus conservet eum, et vivificet eum. [R.] Et beatum faciat.
 Dominus conservet introitum tuum et exitum tuum.
 Dominus custodi[a]t te ab omni malo. [R.] Custodiat.
 Mittat tibi Dominus auxilium de sancto. [R.] Et de Sion.
 Domine, exaudi orationem.

4. *Dominus vobiscum.* Oremus.

DEUS æterne, lucis inventor, omnipotentiam tuam supplici prece de/76/poscimus, ut famulum tuum, quem hodie ad regnum animarum elegimus, gratiæ tuæ dono prosequaris, ut, te largiente, cum ipsa tibi electione nostra placeamus, per unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, cum quo et Spiritu Sancto vivis et regnas.

5. *Oratio:*

EXAUDI, Domine, preces nostras, et super hunc famulum tuum Spiritum tuæ benedictionis emitte, ut cælesti munere ditatus et tuæ gratiam maiestatis possit acquirere et bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Dominum.

6. *Oratio:*

CLEMENTISSIME dominator, Domine, tuam invocantes pietatem super hunc famulum tuum, quem in numerum electorum tuorum accersire dignatus es, quæsumus, ut conversionis suæ fidem digne custodiat, et quicquid pro salute anime suæ fuerit deprecatus obtineat, sit vita eius probabilis, sit sapiens et humilis, sit scientia verus, obœdientia clarus, conveniens in doctrina, in increpationibus immobilis, in gravitate decorus, in tentationibus fortis, in iniuriis paciens, in pace fixus, in eleemosynis promptus, in orationibus frequens, in misericordia efficax, in subditis pius, nec sit immemor, quod abs te de suis erit factis tuo iudicio iudicandus, huius itaque, Domine, depre/77/camur, ut voluntatem in bono augeas, et eum bonis moribus exornes, eique, quod tibi placitum sit clementer infundas, ut et dignus sit tuæ benedictionis, et tua valeat beneficia promereri. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

7. Per omnia sæcula sæculorum. Dominus vobiscum. Sursum corda. Gratias agamus Domino Deo nostro. *Oratio:*

Usque æterne Deus. Adesto precibus nostris, adesto votis, adesto famulantibus, adesto consecrationibus, qui omnia per verbum virtutis tuæ mirabi[l]iter dispensas, et dispensando ministras, qui diversis floribus tuam semper exornas ecclesiam, dum eam et virorum illustrium exemplis irradias et institutis. Effunde, quæsumus, Domine, super hunc famulum tuum, quem hodie in officium divinum fideliter dedicamus, gratiam Spiritus Sancti, ut tibi omni tempore eius servitus complaceat, eumque dextera potentiæ tuæ benedicere et sanctificare sive consecrare digneris in opus ministerii tui condignum, quatenus actum ministrationis sibi creditæ fideliter exequatur, et eiusdem Sancti Spiritus septiformis gratiæ virtute corroboretur. Requiescat ergo super eum, precamur, Domine, spiritus sapientiæ et pietatis, et repleas eum spiritu timoris tui, et da ei gravitatem actuum censuramque vivendi, ut in lege /77'/ tua die ac nocte meditetur, mandata tua custodiat, dictis tuis obædiat, sacris lectionibus insistat, terrena et transitoria despiciat, atque omni tempore bonis operibus inserviat, omnem libidinem pravæ voluntatis superet, amorem honeste castitatis teneat, abundet in eo totius forma virtutis auctoritas modesta, pudor constans, innocentiae puritas et spiritalis observantia disciplinæ, in moribus eius præcepta tua fulgeant, ut suæ castitatis exemplo cunctis sibi subditis imitationem præbeat puram et bonum conscientiae testimonium ostendens, in Christo Iesu firmus et stabilis perseveret, atque perceptum ministerium, te auxiliante, peragat, qualiter ad æternam remunerationem, te donante, pervenire mereatur. Per eundem Dominum nostrum.

8. *Tunc det ei regulam, dicens:*

Accipe regulam a sanctis patribus nobis traditam ad regendum custodiendumque gregem tibi a Deo creditum, quantum ipse Deus te confortaverit, ac fragilitas humana permiserit.

9. *Tunc tradat ei baculum, dicens:*

Accipe baculum pastoralitatis, quem præferas catervæ tibi commissæ ad exemplum iustæ severitatis et correptionis.

10. *Tunc imponat episcopus manum super caput /78'/ eius, dicens hanc orationem:*

OMNIPOTENTIAM tuam, Domine, humiliter imploramus, ut super hunc famulum tuum, quem hodierna die ad sacrum ordinem assumere dignatus [es],¹ benedictionis tuæ donum dignanter infundas, eique gratiam consecrationis tuæ per manus nostræ impositionem largiter tribuas, ut quod te donante percepit, te protegente illæsum permaneat. Per Dominum.

¹ *Orig. add.*

11. *Alia:*

DOMINUS, omnium fidelium pastor et rector, famulum tuum, quem congregationi tuæ præesse voluisti, propitius respice, da ei, quæsumus, verbo et exemplo, quibus præest proficere, ut ad vitam unacum grege sibi credito perveniat sempiternam. Per.

12. *Et benedicat eum episcopus:*

BENEDICTIO Dei Patris et Filii eius unigeniti et Spiritus Sancti paracliti descendat, et maneat super te. Per Dominum.

XIII. Ordo ad abbatissam faciendam

1. In ordinatione abbatissæ episcopus debet missam cælebrare, et eam benedicere, his suprascriptis benedictionibus. Post antiphonam ad introitum et datam orationem et reliquum officium missæ usque ad evangelium, prosternat se episcopus ante altare, electa autem retro episcopum, astantibus iuxta eam duabus vel tribus de sororibus suis. Fian[t]que ibi litanias. Post has vero surgant pariter, et dicatur Pater noster /78^r/ cum his:

Salvam fac ancillam tuam. [R.] Deus meus sperantem.

Dominus conservet eam, et vivificet eam. [R.] Et beatam faciet eam in terra, et non tradat eam in animam.

Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum. [R.] Dominus custodiat te ab omni malo.

Mitte ei, Domine auxilium de sancto.

Nihil proficiet inimicus in ea. [R.] Et filius.

Esto ei, Domine, turris fortitudinis. [R.] A facie.

Exsurge, Domine, adiuva nos.

Domine exaudi.

2. *Oratio:*

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, affectui¹ nostro tuæ miserationis effectum, et famulam tuam, quam hodie ad regnum animarum eligimus, gratiæ tuæ dono prosequere, ut, te largiente, cum ipsa tibi nostra electione placeamus. Per eundem Dominum.

3. *Alia:*

CUNCTORUM operum institutor, Deus, qui per Moysen famulum tuum ad gubernandas ecclesias præpositos instituisti, tibi supplices fundimus preces, teque de-

¹ *Orig. corr. de effectui.*

votis mentibus exoramus, ut hanc famulam tuam, quam conveniens electio famularum tuarum hodie electam abbatissam ovium tuarum esse constituit, protectionis tuæ gratia munire digneris, sicque regere subditas concedas, ut cum illis omnibus regna cælorum adipisci mereatur, quatenus te Domine opitulante, apostolicis iugiter fulta doctrinis cum centesimo fructu læta introeat portas paradisi, atque te Domine collaudans, audire mereatur: euge ancilla bona et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Quod ipse præstare dignetur.

4. Per omnia sæcula sæculorum. Dominus vobiscum. Sursum corda. Gratias agamus Domino Deo nostro. [R.] Dignum et iustum est.

Usque æterne Deus. Effluentem spiritum tuæ benedictionis super hanc famulam tuam nobis orantibus propitiatus infunde, ut qui per manus nostræ hodie impositionem abbatissa constituitur, sanctificatione tua digne a te electa permaneat, ut numquam postmodum de tua gratia separetur indigna. Suscipiat, te largiente, hodie, Domine, in bono opere perseverantiam, in adversis constantiam, in tribulationibus tolerantiam, in ieiunio desiderium, in impietatibus misericordiam, in humilitate principatum, in superbia odium, in fide dilectionem, in doctrina pervigilantiam, in castitate continentiam, in luxuria abstinentiam, in varietatibus moderationem, in moribus doctrinam, te tribuente, Domine, talis in ministerio perseveret, qualis levita electus ab apostolis beatus Stephanus meruit perdurare, totam ab hodie diabolicam conversationem despiciat, tua, Domine, benedictione largiente contentus præsentia præmia cælestia desideret, et sempiterna sit exemplum et forma iustitiæ ad gubernandam regendamque ecclesiam tuam fideliter, ut speculatrix idonea inter suas collegas semper efficiatur, sit magni consilii, industriæ, censuræ, efficacitæ, disciplinæ, ita te, Domine tribuente, ut in omnibus mandatis tuis sine reprehensione mundo corde deserviens tibi, ad bravium supernæ vocationis multiplicato fœnore centesimo fructu coronaque iustitiæ ad cælestium thesaurorum donativa perveniat. Præstante Domino nostro.

5. Tunc dat regulam, dicens:

Accipe regulam a sanctis patribus nobis traditam ad regendum custodiendumque gregem tibi a Deo creditum, quantum te Deus ipse confortaverit, ac humana fragilitas hoc permiserit.

6. Demum dicat hanc orationem:

DOMINE Deus omnipotens, qui sororem Moysi Mariam præeuntem ceteris mulieribus inter æquoreas undas cum tympanis et choris lætam ad litus maris venire fecisti, te supplices depræcamur, pro fideli famula tua, quæ in materna cathedra super universas subditas sibi esse abbatissa constituitur, ut ita monastica norma tueatur cunctas famulas tuas, quatenus ad æternam gloriam, te auxiliante, læta cum omnibus introeat, ibique exsultantes et cum angelis cantantes cantica nova sequantur Agnum, quocumque ierit Christum. Præstante eodem Domino nostro, qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia.

7. Et benedicat eam demum episcopus, dicens:

Benedictio Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super te.

XIV. Consecratio sacræ virginis

1. Quæ in Epiphania Domini vel in secunda feria Paschæ vel in nataliciis apostolorum cæ[le]bratur. Omnes, qui ad sacros ordines debent promoveri, ante pronuntiationem evangelii ab episcopo debent consecrari, quia ab eis prædicatio sancti evangelii debet per totum mundum diffundi, virgines et viduæ post lectum evangelium debent velari, quia decet eas et per evangelium prædicari. Virginem episcopo eum oblatione offerant, et ille involutam manum eius pallam altaris accipiat, dicendo cum astantibus antiphonam:

I PSI sum desponsata, cui angeli*o* serviunt, cuius pulchritudi*o* nem sol et luna mirantur.

2. Sanctimonialis virgo, cum ad consecrationem sui offeretur, in talibus vestibus applicetur, quilibet semper usura est, professioni et sanctimoniam aptis. In primis autem offerantur illa vestimenta ante altare episcopo ad benedicendum. Benedictio vestimentorum virginum:

D EUS æternorum bonorum fidelissime promissor, certissime prosolutor, qui /80/ vestimentum salutare et indumentum æternæ iucunditatis tuis fidelibus promisti, clementiam tuam suppli[ci]ter exoramus, ut hæc indumenta humilitatem cordis et contemptum mundi significantia, quibus famula tua sancto visibi[li]ter est informanda proposito, propitius benedicas, ut beatæ castitatis habitum, quem te inspirante susceperit, te protegente custodiat, et quam vestibus venerandæ promissionis temporaliter induis, beata facias immortalitate vestiri. Per.

3. [Oratio:]

D OMINE Deus, bonarum virtutum dator, et omnium benedictionum largus infusor, te subnixis precibus deprecamur, ut has vestes, quas famula tua pro iudicio cognoscende religionis vult induere, bene \times dicere et sanctificare digneris, ut inter reliquas feminas tibi cognoscatur dicata.

4. Alia oratio:

E XAUDI, Domine, preces nostras, et hanc vestem, quam famula tua pro conservandæ castitatis signo se adoperiendam exposcit, uberrimæ benedictionis imbre perfunde, sicut perfudisti ora vestimentorum Aaron benedictione unguenti profluente a capite in barbam, et sicut benedixisti vestes omnium religiosorum tibi per omnia placentium, ita e*o*tiam hanc benedicere dignare, ac præsta, clementissime Pater, ut supradictæ famulæ tuæ /81/ hæc sit vestis salubris protectio, hæc cognitio religionis, hæc initium sanctitatis, hæc contra omnia tela inimici robusta defensio, ut si continens est sexagesimi fructus donum percipiat, et si virgo centesimi muneris opulentia inutraque parte perseverante continentia ditetur. Per.

5. Oratio:

CAPUT omnium fidelium, Deus, et totius corporis Salvator, hoc operimentum velaminis, quod famula tua propter tuum tuæque Genitricis beatissimæ, scilicet semper Virginis Mariæ amorem suo capiti est impositura tua dextera sanctifica, et hoc, quod per illud mystice datur intelligi, tua semper custodia corpore pariter et animo incontaminato custodiat, ut quando ad perpetuam sanctorum remunerationem venerit, cum prudentibus et ipsa cum virginibus præparata, te perducente, ad perpetuæ felicitatis nuptias intrare mereatur. Per.

6. Hic suppli[ci]ter prosternat se illa, quæ consecranda est, et dicit hunc versum tribus vitibus:

Suscipe, Domine, me secundum eloquium tuum, et vivam, et non confundas me ab exspectatione mea.

7. Tunc det ei episcopus ipsa virginitatis vestimenta, dicens:

Soror, accipe vestem in nomine Domini.

8. Et illa respondeat:

Suscipio in nomine Patris et Filii et /81/ Spiritus Sancti.

9. Tantum episcopus velamen apud se retinens. Ipsa autem virgo vadat in sacrarium, et induat se ipsis vestimentis benedictis, accipiensque duos cereos ardentis in manus suas veniat ante altare. Statimque imponat clerus introitum ad missam. Post evangelium autem et dictam, ea prostrata, litaniam, inclinato capite ante altare benedicat episcopus, dicens:

RESPICE, Domine, propitius super hanc famulam tuam, ut virginitatis sanctæ propositum, quod te [in]spirante¹ suscepit, te gubernante custodiat. Per Dominum nostrum Iesum.

10. [Præfatio]: Per omnia sæcula sæculorum. Dominus vobiscum. Sursum corda. Gratias agamus Domino Deo.

USQUE æterne. Castorum corporum benignus habitator, et incorruptarum amator animarum. Deus, qui humanam substantiam in primis hominibus diabolica fraude vitiatam, ita in verbo tuo, per quod omnia facta sunt, reparas, ut eum non solum ad primæ originis innocentiam revoces, sed etiam ad experientiam, quorundam bonorum, quæ in novo sæculo sunt habenda, perducas, et obstrictos adhuc conditione mortalium, iam ad similitudinem provehis angelorum, respice super hanc famulam tuam, quæ in manu tua continentia suæ propositum collocans /82/ tibi devotionem suam offert, a quo et ipsa idem votum assumpsit. Quando enim animus mortali carne circumdatus, legem naturæ, libertatem licentiæ, vim consuetudinis, et stimulos² ætatis evinceret, nisi tu per liberum arbitrium hunc amorem virginitatis clementer

¹ *Orig. add.*

² *Orig. del.*

accenderes, tu hanc cupiditatem in eius corde benignus aleres, fortitudinem ministrares? Effusa namque in omnes gentes gratia tua ex omni natione, quæ est sub cælo in stellarum innumerabilem numerum novi testamenti heredibus adoptatis, inter ceteras virtutes, quas filiis tuis non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed de tuo spiritu genitis indidisti, etiam hoc donum in quasdam mentes de largitatis tuæ fonte defluxit, ut cum honorem nuptiarum nulla interdicta minuissent, ac super sanctum coniugium initialis benedictio permaneret, existerent tamen sublimiores animæ, quæ in viri ac mulieris copula fastidirent conubium, concupiscerent sacramentum, nec imitarentur, quod nuptiis agitur, sed diligerent, quod nuptiis prænotatur. Agnovit auctorem suum beata virginitas et æmula integritatis angelicæ illius thalamo, illius cubiculo se devovit, qui sic perpetuæ /82^y/ virginitatis est sponsus, quemadmodum perpetuæ virginitatis est filius. Imploranti ergo auxilium tuum, Domine, et conformari se benedictionis tuæ consecratione cupienti, da protectionis tuæ munimen et regnum, ne hostis antiquus, qui excellentiora¹ studia subtilioribus infestat insidiis, ad execrandam perfectæ continentię palmam per aliquam mentis serpat in curiam, et rapiat de proposito virginum, quod etiam moribus decet in esse nuptiarum. Sit in ea, Domine, per donum spiritus tui prudens modestia, sapiens benignitas, gravis levitas, casta libertatis,² in caritate ferveat, et nihil extra te diligit, laudabiliter vivat, laudarique non appetat, te in sanctitate corporis, te in anima sua glorificet, amore te timeat, amore deserviat, tu ei sis honor, tu gaudium, tu voluntas, tu in mœrore solatium, tu in ambiguitate consilium, tu in iniuria defensio, in tribulatio[ne]³ patientia, in paupertate abundantia, in ieiunio cibus, in infirmitate medicina, in te habeat omnia, quæ diligere appetit super omnia, et quod est professa, custodiat. Scrutatori pectorum non corpore placitura, sed mente transeat in numerum sapientium pu/83^y/ellarum, ut cælestem sponsum accensis lampadibus cum oleo præparationis exspectet, nec turbata improvisi regis adventu, sed secunda cum lumine, et præcedentium virginum choro iocantur⁴ occurrat, et ne excludatur cum stultis, regalem ianuam cum sapientibus virginibus licenter introeat, et magni tui perpetuo comitatu probabilis mansura castitate permaneat. Per eundem.

11. Benedictione expleta episcopus mittat velamen super caput virginis, dicens ad eam:

Accipe velum sacrum, puella, quod perferas sine macula ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, cui flectitur omne genu cælestium, terrestrium et infernorum in sæcula sæculorum.

12. Tunc cantentur a circumstantibus ad singulas antiphonæ:

Induit te Dominus cyclade auro texta, et immensis monilibus ornavit te.

¹ *Orig. corr. de* excellatio.

² *Orig. del.*

³ *Orig. add.*

⁴ *Sic, malim:* iocanter.

13. *Sequitur oratio:*

FAMULAM tuam, Domine, tuæ custodia muniat pietatis, ut continentia sanctæ proposito, quod te inspirante suscepit, te protegente illæsum custodiat. Per.

14. *Sequitur antiphona:*

Ipsi sis desponsata.

15. *[Oratio:]*

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut hæc famula tua, quæ pro spe retributionis æternæ tibi, Domino, desiderat consecrari, plena fide animoque in sancto proposito permaneat, tu eam, omnipotens Pater, sanctificare et benedicere et in perpetuum conservare digneris, tribue ei humilitatem, castitatem, obædientiam, /83'/ caritatem et omnium operum bonorum quantitatem, da ei, Domine, pro operibus gloriam, pro pudore reverentiam, pro pudicitia sanctitatem, ut ad meritum gloriæ possit pervenire. Per.

16. *Tunc canent[ur] a circumstantibus antiphonæ:*

Posuit signum in faciem tuam, ut nullum præter eum amatorem admittas.

17. *Oratio:*

DEUS, plasmator corporum, afflator animarum, qui nullam spernis ætatem, non sexum reprobas, nullam conditionem gratia tua ducis indignam, sed omnium æqualis creator es et redemptor, tu hanc famulam tuam, quam ex omni numero gregis bonus pastor eligere ad conservandam coronam perpetuæ virginitatis et castimoniam animæ dignatus es, tuæ scuto protectionis circumtege, et ad omne opus virtutis et gloriæ magistrante sapientia præpara, ut vincens carnis ille celebras,¹ et licita conubia recusans, insolubilem Filii tui Domini nostri Iesu Christi m[er]eatur copulam. Huic petimus, Domine, ut arma suggeras non carnalia, sed spiritus virtute potentia, ut te muniente, eius sensus et membra in corpore et animo non possit dominari peccatum, atque sub tua gratia vivere cupienti, nihil sibi defensor malorum et inimicus bonorum de hoc vase, iam novum tuo consecrato prævaleat vindicare. Omnem etiam genuinum calorem in ea /84'/ imber gratiæ cælestis extinguat, lumen vero perpetuæ castitatis accendat, facies scandalis [in]² pudica non pateat, nec in caute occasionem tribuat negligentia delinquendi, sitque in ea casta virginitatis, et ornata pariter et armata fide integra, spe certa, caritate sincera, ut præparato animo ad continentiam virtutis tanta præstetur, quæ superet diaboli universa figmenta, atque contemnendo præsentia futura sectetur, ieiunia epulis carnalibus præferat, et lectiones sacras et orationes conviviis et potationibus anteponat, ut orationibus pasta et eruditionibus expleta, illumi-

¹ *Sic, malim:* illecebras.

² *Orig. add.*

nata vigiliis opus gratiæ virginalis exerceat. His virtutum<um>¹ armis, Domine, hanc famulam tuam interius [exterius]que² communiens, præsta in offensum cursum virginitatis implere. Per.

17. *Ad anulum dandum:*

Accipe anulum fidei, signaculum Spiritus Sancti, ut sponsa Dei voceris, si ei fideliter servieris.

18. *Interim dicatur antiphona:*

Anulo suo subarravit me, Dominus meus, Iesus Christus, et tamquam sponsam decoravit me corona.

19. *Sequitur benedictio:*

BENEDICAT te conditor cæli et terræ, Deus Pater omnipotens, qui te eligere dignatur ad Sanctæ Mariæ, matris Domini nostri Iesu Christi consortium, ut integram et immaculatam virginitatem, /84^y/ quam professa es coram Domino et angelis eius, conserves, propositum teneas, castitatem diligas, patientiam serves, et coronam virginitatis accipere merearis. Per.

20. *Post hæc relinquens puella cereos, offerat oblationem. Iterum accipiat cereos, stet inclinata usque dum communicet, et missa finiatur ordine suo. Et si est, qui ei testimonium perhibuit, mittat eam episcopus in manus suas, dicens:*

Vide, quomodo istam Deo sacratam repræsentes ante tribunal Domini nostri Iesu Christi.

¹ *Orig. del.*

² *Orig. add.*

XV. De sancto synodo ordo Romanus, qualiter concilium agatur

1. *Conveniente universo cœtu sanctorum episcoporum, abbatum, presbyterorum atque diaconorum ceterorumque ecclesiasticorum in nomine Domini sive in civitate metropoli, sive in eam, quam metropolitani episcopi unacum consensu ceterorum episcoporum decreverit ad concilium faciendum. Post orationes solitas congregantur omnes in ecclesia maiore, ubi concilium celebrandum est, sedentque in ordine cum silentio. Tunc cantatur antiphona Exaudi nos, Domine. Et post erigens se metropolitani episcopus, dicit:*

Oremus.

2. Et diaconus:

Flectamus genua.

3. Et post paululum:

Levate.

4. Et ipse metropolitanus episcopus cum aliis ex senioribus dat orationem hanc. Oratio:

OMNIPOTENS sempiternae Deus, qui nos per misericordiam tuam incolumes in hunc locum speciali⁸⁵/aliter aggregasti, mentes nostras, paraclitus, qui a te procedit, illuminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius veritatem, cunctosque in tua fide et caritate corroboret, ut exercitatio temporalium conciliorum proficiat [nobis]¹ ad aeternae felicitatis augmentum. Per Dominum nostrum ... in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus.

5. Post collectam agatur litania, qua finita dicit episcopus:

Oremus.

6. Et diaconus:

Flectamus genua.

7. Et iterum:

Levate.

8. Sequitur oratio:

Da, quæsumus ecclesiae tuæ, misericors Deus, ut, Spiritu Sancto congregata, securam tibi devotione servire mereatur. Per eundem ... in unitate eiusdem ... Sancti Deus.

9. Finita oratione, respondeant omnes:

Amen.

10. Cum timore et disciplina Dei sedeant tam omnes episcopi, quam presbyteri in silentio magno. Tunc diaconus progrediens de altari, sacre veste indutus, portans evangelium usque ad ambonem in medio choro ad legendum, et stans, dicat:

Dominus vobiscum.

11. Et prosequatur lectionem ad hæc pertinentem. Secundum Ioannem.

In illo tempore. Dixit Iesus discipulis suis: Ego sum pastor bonus.

¹ *Orig. add.*

12. Quo finito, incipiat episcopus excelsa voce hymnus¹ Veni creator Spiritus. Quo expleto, omnes se-deant. Tunc alloquitur metropolitanus concilium, dicens:

ECCE, beatissimi et venerabiles sacerdotes patres ac fratres nostri, missis Deo preci-bus sanctitatem /85^v/ vestram oportet, ut ea, quæ de divinis vel sacris ordinibus aut etiam de nostris moribus et necessitatibus ecclesiasticis a nobis conferenda sunt, cum caritate et benignitate unusquisque vestrum suscipiat, summaque reverentia, quantum valet, Domino adiuvante, perficiat, vel quæ emendationi digna sunt. Omni devotione unusquisque feliciter studeat emendare, et cui forte dicitur, quod displiceat sine aliquo scrupulo contentionis palam omnibus conferat, quatenus Deo mediante, et hoc ad op-timum statum perveniat, ita ut nec discordans contentio ad subversionem iustitiæ lo-cum inveniat, nec iterum in perquirenda veritate vigor nostri ordinis vel sollicitudo re-pescat.

12. Post allocutionem hanc tractent apud se de divinis mysteriis et ecclesiasticis disciplinis, vel quibus-libet necessariis canonesque ibi legantur aut liber officiorum. Nec aliquis inde discedat, quia ista omnia explicentur, et ita totus tribus diebus agatur. Nam de his, qui foris sunt, si quis concilium pro qualibet causa appellare voluerit «causa appellare voluerit», archidiaconus ecclesiæ metropolitano causam suam intimet, et ille in concilium proferat, et ita introeundi detur licentia ei. Concilium autem nullus solve-re audeat, nisi fuerint cuncta terminata.

¹ Sic, *malim*: hymnum.

ITEM ALTERI[U]S DIEI /86^v/ ORDO CONCILII

13. Conventione facta, dicat metropolitanus:

Oremus.

14. Et diaconus:

Flectamus genua.

15. Et post paululum:

Levate.

16. Et ipse metropolitanus prosequatur, ut supra, oratio:

MENTIBUS nostris, quæsumus, Domine, Spiritum Sanctum benignus infunde, qua-tenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderatione pietatis iustitia, ut hic a te in nullo dissentiat voluntas nostra, sed semper rationabilia meditan-tes, quæ tibi sunt placita, et dictis exsequamur et factis. Per Dominum nostrum ... in unitate eiusdem Spiritus Sancti.

17. Sequatur litania, ut supra. Tunc episcopus dicat hanc orationem:

Deus, qui nos iustitiam loqui, et quæ recta sunt, præcipis iudicare, tribue, quæsumus, ut nec iniquitas in ore, nec pravitas inveniatur in mente, ut puro cordi purior sermo consentiat, [ostendatur in opere justitia,]¹ nec appareat dolus in lingua, sed ex corde veritas proferatur. Per Dominum.

18. Tunc diaconus legat evangelium: Secundum Mattheum.

IN illo tempore. Respiciens Dominus Iesus discipulos suos, dixit Simoni Petro: Si peccaverit in te frater tuus.

19. Quo finito, incipiat episcopus hymnum Veni creator Spiritus. Totum, ut supra. Tunc metropolitanus alloquatur concilium huiusmodi:

REVERENTISSIMI et sanctissimi domini et patres nostri, piam sollicitudinem vestram de divinis officiis et sa⁸⁶/cris altaris gradibus, aut etiam de consuetudine et necessitatibus ecclesiasticis, quæcumque emendanda vel renovanda sunt, caritas omnium vestrum, ubicumque noverit, aliqua emendatione condigna, in medium proferre non ambigat, ut per vestræ sanctitatis studium, Domino largiente, ad optimum perveniant statum ad laudem nominis Christi Domini nostri. Qui vivit.

20. Post allocutionem hanc ammoneat, ut supra, episcopus. Et tractent inter se de divinis scripturis, et legantur ibi canones, sicut superius.

¹ *In margine.*

ITEM ORDO CONCILII TERTII DIEI

21. Conventione facta, dicat metropolitanus:

Oremus.

22. Et post paululum diaconus:

Flectamus genua.

23. Et post paululum:

Levate.

24. Et ipse metropolitanus prosequatur, et dicat hanc orationem:

OMNIPOTENS sempiternæ Deus, qui sacro verbi tui oraculo promisisti, ubi duo, vel tres congregati essent in nomine tuo, te medium fore, adesto cœtui nostro

propitius, et cor nostrum illumina misericors, ut a bono misericordiae tuae nullatenus aberremus, sed [rectum]¹ iustitiae tuae tramitem in omnibus teneamus. Per Dominum nostrum.

25. Sequitur litania, ut supra. Tunc episcopus dicat hanc orationem:

DEUS, qui populis tuis indulgentia consulis et amore dominaris, da «eis»² spiritum sapientiae tuae, quibus dedisti regimen disciplinae, /87/ ut de profectu ovium sanctarum fiant gaudia aeterna pastorum. Per Dominum nostrum.

26. Tunc diaconus legat evangelium: Secundum Lucam.

In illo tempore. Designavit Dominus Iesus et alios septuaginta duos.

27. Quo finito incipiat episcopus hymnum Veni creator ut supra, postea metropolitanus concilium alloquatur in hunc modum: Ammonitio:

DILECTISSIMI [ergo]³ et venerabiles patres ac domini nostri, beatitudinem vestram oportet, ut ea, quae «de»⁴ ecclesiasticis officiis et sacerdotalibus gradibus vel [etiam]⁵ canonicis sanctionibus propter diversas occupationes, quas «quod»⁶ negare [rogare]⁷ non possumus, propter nostram aliorumque desidiam non tam pleniter, ut oportet executata sunt, omnium nostro unanimi consensu et voluntate requirantur, et humiliter coram sanctitate vestra recitentur [ut]⁸ et quae condigna sunt emendatione, ad meliorem statum, Domino auxiliante, perducantur, et cui fortassis aliqua displice[an]t,⁹ quae digesta sunt [ea]¹⁰ sanctitati vestrae cum benignitate et modestia intimare non differat, quatenus totum quod synodali conventionem nostra statutum vel renovatum fuerit, ab omni contrarietate, concordia sanctae pacis ab omnibus aequae custodiatur et teneatur ad augmentum aeternae beatitudinis omnium nostrum. Quod ipse praestare dignetur.

28. Post hanc /87/ allocutionem ammonet episcopos et clerum, et se¹¹ divinis scripturis tractentur inter se, et constituent, quae necessae fuerint emendare. Terminatis autem atque ordinatis omnibus ultimi diei concilii elevent se omnes cum reverentia de sedibus suis, et dicat metropolitanus episcopus:

Oremus.

¹ *Orig. add.*

² *Orig. del.*

³ *Orig. add.*

⁴ *Orig. del.*

⁵ *Orig. add.*

⁶ *Orig. del.*

⁷ *Inter lineas.*

⁸ *Orig. add.*

⁹ *Orig. add.*

¹⁰ *Orig. add.*

¹¹ *Sic, malim: de.*

29. Et diaconus:

Humiliate vos ad orationem.

30. Tunc omnes prostrati in terram orent non modico intervallo. Et dicat diaconus:

Levate.

31. Et metropolitanus dat orationem huiusmodi:

EXAUDI, quæsumus, Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis, et siquid offensionis in hac concilii celebratione contraximus, te miserante, indulgentiam sentiamus, ut in eo, quod soluturi sumus, aggregatum concilium ac ceteris primum absolvamur nostrorum nexibus delictorum, per quod nos a cunctis excessibus, Domine, quæsumus, propitiatus absolute, et, quia imperfectum nostrum oculi tui vident, perfectioni deputa misericors, quod perfecto æquitatis fine concludere præoptamus. Per Dominum.

32. Tunc sedeant parum, et dicat episcopus:

PRECIBUS itaque Deo præmissis, fraternitatem vestram, dilectissimi filii, cum pia exhortatione admoneo, et per divinum nomen obtestor, ut ea, quæ a nobis de Deo et sacris ordinibus vel sanctis moribus dicta fueru[n]t, cum omni pietate suscipiatis, et cum summa /88/ reverentia perficere studeatis, quatenus, superna auxiliante gratia, eam, quæ ad salutem nostram et Christi populi nobis commissi pertinere videtur, diligenter et provide, tractemus, ut oves Domini nostri Iesu Christi nobis commissæ, licet indignæ, ob nostra pereant negligentia, pro quibus in die iudicii rationem reddituri sumus. Deinde simili vos obtestatione coniuro vel obsecro, ut nullus vestrum in iudicando, fratrem suum aut personam accipiat, aut quolibet favore vel munere pulsatus, a iusto iudicio scienter avertatur et discedat, sed cum tota pietate fraterne dilectionis, et cum Dei timore libenter nobiscum adhibeatis studium, quatenus per nostram doctrinam et sacram admonitionem peccata, errores et pravitates filiorum nostrorum, quæ ante nos vel tempore nostro, instigante diabolo, in civitate ista vel parochiis nostris perpetrata fuerint, Dei auxiliante misericordia, ad correptionis emendationem et bonorum executionem perducere valeamus, ut in extremo iudicii die non de negligentis et culpis a Domino sicut pigri et mali servi iudicemur, sed de benefactis ac recte dispositis præmium æternæ beatitudinis percipere mereamur. Per Dominum nostrum.

33. Tunc diaconus dicat:

Humiliate vos ad benedictionem.¹

¹ *Rubro.*

34. [Benedictio:]

CHRISTUS, Dei Filius, qui est initium et finis comple^{88'}mentum, vobis tribuat suæ caritatis. [R.] Amen.

Ut qui vos ad expletionem huius fecit pervenire synodi, absolutos vos efficiat ab omni contagione delicti. [R.] Amen.

Ut ab omni reatu liberiores effecti, absoluti etiam per donum Spiritus Sancti, felici reditum vestrarum sedium cubilia repetatis illæsi. [R.] Amen.

Quod ipse præstare dignetur, qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. [R.] Amen.

Benedictio Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super vos. [R.] Amen.

35. Quibus expletis, dicat archidiaconus:

In nomine Domini nostri Iesu Christi eamus cum pace.

36. Tunc pariter omnes exsurgentes, redeant in domos suas.

XVI. Ordo ad benedicendum regem /88'/

1. Quando novus a clero et a populo sublimatur in regnum. Primum enim exeunte illo de thalamo, unus episcopus dicat hanc orationem:

OMNIPOTENS sempiternæ Deus, qui famulum tuum, **N.** regem fastigio dignatus es sublimare, tribue, quæsumus, ei, ut ita in huius sæculi cursu, cunctorum in commune salutem disponat, quatenus a tuæ veritatis tramite non recedat. Per.

2. Postea suscipiant illum duo episcopi dextera lævaque honorifice parati, habentes sanctorum reliquias collo pendentes. Ceteri autem clerici ca^{89'}sulis adornati præcedente sancto evangelio et duabus crucibus, cum incenso boni odoris, ducant illum ad ecclesiam, cantantes responsorium Ecce mitto cum versu Israel si me. Cuncto eum populo sequente. Ad ostium autem ecclesiæ, clerus subsistat, et unus episcopus dicat hanc orationem:

DEUS, qui scis genus humanum nulla virtute posse subsistere, concede propitius, ut famulus tuus, **N.**, quem populo tuo voluisti preferre, ita tuo fulciatur adiutorio, quatenus, quibus potuit præesse, valeat et prodesse. Per.

3. Introeuntes autem præcedentes clerici decantent antiphonam Ecce odor filii mei cum psalmo Domine in virtute tua usque introitum chori. Tunc episcopus metropolitanus dicat hanc orationem:

OMNIPOTENS sempiternæ Deus, cælestium terrestriumque moderator, qui famulum tuum, **N.** ad regni fastigium dignatus es provehere, concede, quæsumus, ut a cunctis adversitatibus liberatus, et ecclesiasticæ pacis dono muniatur, [et] ad æternæ pacis gaudia, te donante, pervenire mereatur. Per. In unitate eiusdem.

4. Postea designatus princeps pallium deponat atque inter manus episcoporum productus in chorum, usque ad altaris gradus incedat, cunctoque pavimento tapetibus et pallioli¹ /89/ contacto, ibi humiliter totus in cruce prostratus iaceat, una cum episcopis et presbiteris, hinc inde prostratis, ceteris in choro litaniam breviter psallentibus idem XII apostolos, ac totidem martyres, confessores et virgines, et cetera usque in finem huic benedictioni convenientia, et interseratur hic versiculus:

Ut regem istum ad honorem regni electum Davidica benedictione consecrare dignare.

5. Finita autem litania, erigant se. Sublatus autem princeps interro[ge]tur ab episcopo metropolitano, si sanctas Dei ecclesias ac rectores ecclesiarum, necnon et cunctum populum sibi subiectum iuste et religiose, regali providentia iuxta morem patrum suorum defendere ac regere velit. Illo autem profitente, in quantum divino fultus adiutorio ac solatio omnium fidelium suorum valuerit, ita se per omnia fideliter esse acturum. Demum iterum ipse episcopus affatur populum si tali principi ac rectori se subiicere, atque iussionibus illius obtemperare velit, iuxta Apostolum:

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit regi quasi præcellenti. ‹Per.›

6. Tunc ergo a circumstante clero et populo unanimiter [di]catur:

Fiat, fiat. Amen.

7. Postea vero, eo devote inclinato, dicatur ab uno episcopo hæc¹ oratio:

BENEDIC, Domine, hunc regem nostrum, **N.**, qui regna omnium moderaris a sæculo, et tali eum benedictione glorifica, ut davidicæ teneat sublimitatis sceptrum, et glorificatus in eius protinus reperiatur merito. Da ei tuo inspirante cum mansuetudine ita regere populum, sicut Salamonem fecisti obtinere regnum pacificum [t]ibi cum timore semper sit subditus tibi que militet cum quiete. Sit tuo clipeo protectus cum proceribus et ubique tua gratia victor existat, honorifica eum præ cunctis regibus gentium, felix populis dominetur, et feliciter eum nationes adorent. Vivat inter gentium catervas magnanimus, sit in iudiciis æquitatis singularis, locupletet eum tua prædives dextera. Frugiferam obtineat patriam, et eius liberis tribuas pro futura. Presta ei prolixitatem vitæ per tempora, ut in diebus eius oriatur iustitia. A te robustum teneat regiminis solidum, et cum iocunditate et iustitia æterno gloriatur in regno. Per Dominum.

8. Alia:

OMNIPOTENS æterne Deus, creator omnium, imperator angelorum, rex regnantium, dominusque dominantium, qui Abraham fidelem famulum tuum de hostibus triumphare fecisti, /90/ Moysi et Iosue populo prælati multiplicem victoriam tribuisti, humilemque David puerum tuum regni fastigio sublimasti, et Salamonem sapientiæ pacisque ineffabili munere ditasti, respice, quesumus, ad preces humilitatis nostræ, et super hunc famulum tuum, **N.**, quem supplici devotione in regem eligimus, benedictionum tuarum dona sancta multiplica, eumque dexteræ tuæ potentiæ semper circumda, quatenus prædicti Abrahæ fidelitate servatus, Moysi mansuetudine munitus, David humilitate exaltatus, Salamonis sapientia decoratus, tibi in omnibus placeat, et

¹ *Orig. æ.*

per tramitem iustitiæ inoffenso gressu semper incedat, ecclesiamque tuam deinceps cum plebibus sibi adnexis ita enutriet ac doceat, muniat et instruat contraque omnes visibiles et invisibiles hostes, eidem potenter regaliterque tuæ virtutis regnum administret, et ad vere fidei pacisque concordiam eorum animos, te opitulante, reformet, ut horum populorum debita subiunctione fultus, cum digno amore glorificatus ad paternum decenter solium tua miseratione conscendere mereatur, tuæ quoque protectionis galea munitus, et scuto insuperabili iugiter protectus, armisque cælestibus circumdatus optabilis, /91' victoriæ triumphum feliciter capiat, terroremque suæ potentiæ in fidelibus inferat, et pacem tibi militantibus lætanter reportet. Per Dominum nostrum, qui virtute crucis tartara destruxit, regnoque diaboli superato, ad cælos victor ascendit, in quo potestas omnis regnumque consistit victoria, qui est gloria humilium, et vita salusque populorum, qui tecum vivit et regnat.

9. Demum ab altero episcopo dicatur hæc oratio:

DEUS, inenarrabilis auctor mundi, conditor humani generis, gubernator imperii, confirmator regni, qui ex utero fidelis amici tui patriarchæ nostri Abrahæ præelegisti reges sæculis profuturos, tu præsentem regem hunc cum exercitu suo per intercessionem omnium sanctorum tuorum uberi benedictione locupleta, et solium regni firma stabilitate connecte. Visita eum, sicut Moysen in rubo, Iesunave in proelio, Gedeon in agro, Samuelem in templo, et illa eum benedictione siderea, ac sapientiæ tuæ rore perfunde, quam Beatus David in psalterio, Salomon, filius eius, te remunerante, percepit de cælo. Sis ei contra acies inimicorum lorica, in adversis galea, in prosperis patientia, in protectione clipeus sempiternus, et præsta, ut gentes illi teneant fidem, /91' proceres sui habeant pacem, diligant caritatem, abstineant se a cupiditate, loquantur iustitiam, custodiant veritatem. Et ita populus iste sub eius imperio pullulet coalitus benedictione æternitatis, ut semper maneant tripudiantes in pace victores. Quod ipse præstare dignetur.

10. Tunc primum ab episcopo metropolitano ung[u]antur manus sibi de oleo sanctificato, ita dicendo:

UNGUANTUR manus istæ de oleo sanctificato, unde uncti fuerunt reges et prophetæ, et sicut unxit Samuel David in regem, ut sis benedictus et constitutus rex in regno isto super populum istum, quem Dominus Deus tuus dedit tibi ad regendum ac gubernandum. Quod.

11. Oratio post unctionem manum:

PROSPICE, omnipotens Deus, serenis obtutibus hunc gloriosum regem, N., et sicut benedixisti Abrahæ¹ Isac et Iacob, sic illum largis benedictionibus spiritalis gratiæ cum omni plenitudine tua potentia irrigare atque perfundere dignare. Tribue ei de rore cæli et de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini et olei, et omnium frugum opulentiam ex largitate divini muneris longa per tempora, ut illo regnante sit sa-

¹ Eredeti æ.

nitas corporum in patria, et pax inviolata /92/ sit in regno, et dignitas gloriosa regalis palatii, maximo splendore regiæ potestatis oculis omnium fulgeat, luce clarissima cuscuscare atque splendere, quasi splendidissima fulgura, maximo perfusa lumine videatur. Tribue ei, Domine, omnipotens Deus, ut si[t] fortissimus protector patriæ, et consolator ecclesiarum, atque cœnobiorum sanctorum, maxima cum pietate regalis munificentia, atque ut sit fortissimus regum, triumphator hostium ad opprimendas rebelles et paganas nationes. Sitque suis inimicis satis terribilis præ maxima fortitudine regalis potentia. Optimatibus quoque atque præcelsis, proceribusque ac fidelibus sui regni sit munificus et amabilis et pius, ut ab omnibus timeatur atque diligatur. Reges quoque de lumbis eius per successiones temporum futurorum egrediantur. Regnum hoc regere totum, et post gloriosa tempora atque felicia præsentis vitæ gaudia sempiterna, in perpetua beatitudine habere mereatur. Quod ipse.¹

12. Postea vero ab episcopo sedis illius unguantur caput et pectus ac scapulæ ambæque compages brachiorum ipsius, et dicatur sequens oratio:

DEUS, Dei Filius, Iesus Christus, Dominus noster, qui a Patre /92/ oleo exultationis unctus est præ partici[pi]bus sui, ipse per præsentem sacræ unctionis infusionem, Spiritus paracliti super caput tuum infundat benedictionem, eandemque usque ad interiora cordis sui penetrare faciat, quatenus hoc visibili et tractabili dono invisibilia percipere, et temporali regno iustis moderaminibus exsecuto, æternaliter cum eo regnare merearis, qui solus sine peccato rex regum vivit et gloriatur cum Deo Patre, in unitate Spiritus Sancti, Deus per omnia sæcula sæculorum.

13. Sequitur oratio:

DEUS, qui es iustorum gloria, et misericordia peccatorum, qui misisti Filium tuum pretiosissimo suo sanguine genus humanum redimere, qui conteris bella, et propugnator es in te sperantium et sub cuius arbitrio omnium regnorum continetur potestas, te humiliter deprecamur, ut præsentem famulum tuum, **N.**, in tua misericordia confidentem, in præsentem sede regali benedicas, eique propitius adesse digneris, ut qui tua expetit protectione defendi, omnibus sit hostibus fortior. Fac eum, Domine, beatum esse, et victorem de inimicis suis. Corona eum corona iustitiæ et pietatis, ut ex toto corde et tota mente in te credens tibi deserviat, /93/ sanctam tuam ecclesiam defendat et sublimet, populumque a te sibi commissum iuste regat, nullus insidiantibus malis eum in iniustitiam convertat. Accende, Domine, cor eius ad amorem gratiæ tuæ per hoc unctionis oleum, unde unxisti sacerdotes, reges et prophetas, quatenus iu[s]titiam diligens, per tramitem similiter iustitiæ populum ducens, post peracta, a te disposita, in regali excellentia, annorum curricula pervenire ad æterna gaudia mereatur, per eundem.

¹ Ms. ipsis.

14. Demum vero ab episcopis ensem accipiat, et cum ense totum regnum sibi feliciter ad regendum dicente metropolitano:

ACCIPE gladium per manus episcoporum licet indignas, vice tamen et aucto[r]itate sanctorum apostolorum consecratas tibi regaliter impositum nostræque benedictionis officio in defensione[m] sanctæ Dei Ecclesiæ divinitus ordinatum, et esto memor de quo psalmista dicit: Accingere gladio tuo super femur tuum potētissime, ut in hoc per eandem vim æquitatis exerceas, molem æquitatis potenter destruas, et sanctam Dei ecclesiam eiusque fideles propugnes ac protegas, nec minus sub fide falsos, quam Christiani nominis hostes exsecres ac destruas, viduas et pupillos clementer adiuves ac defen⁹³⁷das, desolata restaures, restaurata conserves, ulciscaris iniusta, confirmes benigne disposita, quatenus hæc in agendo virtutum triumpho gloriosus, iustitiæque cultor egregius cum mundi Salvatore, cuius typum geris in nomine, sine fine merearis regnare. Qui cum Deo.

15. Accinctus⁹⁴⁸ autem ense, similiter ab illis armillas et pallium anulumque accipit metropolitano dicente:

ACCIPE regiæ dignitatis anulum, et per hunc in te catholicæ fidei, cognosce signaculu[m],¹ quia ut ordinariis caput populi et regni, ita perseverabilis acutor et stabilior Christianitatis et Christianæ fidei, ut felix in opere, locuples in fide, cum rege regum glorieris in ævum, cui est honor et gloria per infinita sæcula sæculorum. [R.] Amen.

16. Post sceptrum et baculum, ordinatore dicente:

ACCIPE virgam virtutis atque æquitatis, qua intelligas mulcere pios et terrere reprobos, errantibus viam pandere, lapsis manum porrigere, disperdasque superbos et releves humiles, ut aperiat tibi Dominus ostium, qui de se ipso ait: Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur; et ipse, qui est clavis David et sceptrum domus Israel, qui aperit et nemo claudit, claudit et /94⁹/ nemo aperit. Sitque tibi auctor, qui educit vinctum de domo carceris, sedentemque in tenebris et umbra mortis et in omnibus sequi illum merearis, de quo David propheta cecinit, sedes tua, Deus, in sæculum sæculi, virga æquitatis, virga regni tui. Et imitando illum diligas iustitiam, et odio habeas iniquitatem, quia propterea unxit te Deus, Deus tuus ad exemplum illius, quem ante sæcula unxerat oleo exsultationis præparationibus² suis Iesum Christum. [R.] Amen.

17. Tunc solus metropolitanus coronam capiti regis verenter imponat, dicens:

ACCIPE coronam regni, quæ licet ab indignis episcoporum manibus, tamen capiti tuo imponitur, quamque sanctitatis gloriam et opus fortitudinis expressæ signare intelligas, et per hanc te participem ministerii nostri non ignores, ita ut, sicut nos in interioribus pastores ac rectores animarum intelligimur, tu quoque in exterioribus ve-

¹ *Orig. corr.*

² *Orig. corr.*

rus Dei cultor strenuusque contra omnes adversitates ecclesiæ Christi defensor regni-que tibi a Deo dati et per officium nostræ benedictionis, in vice apostolorum omniumque sanctorum, tuo regimini commissi utilis exsecutor, regnatorque proficiuus semper appareas, ut inter gloriosos athletas virtutum gemmis ornatus, et præmio semperiterne felicitatis coronatus, cum Redemptore ac Salvatore Iesu Christo /94'/ cuius nomen vicemque gestare crederis, sine fine glorieris. Qui vivit et imperat Deus cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti per omnia.

18. *Sequitur benedictio:*

BENEDICAT tibi Dominus, custodiatque te, et sicut te voluit super populum suum esse regem, ita in præsentis sæculo felicem et æterne felicitatis tribuat esse consortem. [R.] Amen. *«Alia»*

Clerum ac populum, quem sua voluit opitulatione tua sanctione congregari, sua dispensatione et tua administratione per diuturna tempora faciat feliciter gubernari.

Quatenus divinis monitis parentes adversitatibus omnibus carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo imperio fideli amore obsequentes, et in præsentis sæculo pacis tranquillitate fruantur, et tecum æternorum civium consortio potiri mereantur.

Quod ipse præstare.

19. *Ita vero coronatus ab a[l]tari ab episcopis honorifice ducatur in chorum usque ad solium, metropolitano sibi dicente:*

ITA et retine a modo locum, quem hucusque paterna successione tenuisti, hereditario tibi iure delegatum, per auctoritatem Dei Patris omnipotentis, et præsentem traditionem nostram, scilicet omnium episcoporum, ceterorumque Dei servorum /95'/ et quanto clerum sacris altaribus propinquiores perspicias, tanto ei potentiores in locis congruis honorem impendere memineris, quatenus mediator Dei et hominu[m] te mediatorem cleri et plebis in hoc regni solio confirmet, et in regno æterno secum regnare faciat Iesus Christus Dominus noster, rex regum et Dominus dominantium. Qui cum Deo.

20. *Cunctus autem coetus clericorum tali rectore gratulans, sonantiibus hymnis alta voce concinat Te Deum laudamus. Tunc episcopus metropolitanus missam cælebret plena processione.*

XVII. Incipit benedictio reginæ in ingressu ecclesiæ

1. [Oratio:]

OMNIPOTENS æterne Deus, fons et origo totius bonitatis, qui feminei sexus fragilitatem nequaquam reprobando adversaris, sed dignanter comprobando potius eligis, et qui infirma mundi eligendo, fortia quæque confundere decrevistis, quique etiam virtutis, gloriæque triumphum in manu Iudith semine olim iudaice plebi de hoste sevissimo resignare voluisti, respice, quæsumus ad preces humilitatis nostræ, et

super hanc famulam tuam, **N.**, quam supplici devotione in reginam eligimus, benedictiorum tuarum dona multiplica, eamque /95/ <que> dexteræ tuæ potentia semper et ubique circumda, ut umbone muniminis tui, undique secus firmiter protecta, visibilis seu invisibilis hostis nequitas triumphaliter expugnare valeat, et una cum Sara et Rebecca, Lia atque Rachel, beatis reverendisque feminis fructu uteri sui fecundari seu gratulari mereatur ad decorem totius regni, statumque sanctæ ecclesiæ Dei regendum necnon protegendum, per Christum Dominum nostrum, qui ex intemerato beatæ Mariæ Virginis alvo nasci, visitare ac renovare hunc dignatus est mundum, qui tecum vivit et gloriatur, Deus, in unitate Spiritus Sancti per immortalia ...

2. *Item benedictio eiusdem ante altare:*

DEUS, qui solus habes immortalitatem, lucemque inhabitas inaccessibilem, cuius providentia in sui dispositione non fallitur, qui fecisti, quæ futura sunt, et vocas ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt, qui superbos æquo¹ moderamine de principatu eiicis, atque humiles dignanter in sublime provehis, ineffabilem misericordiam tuam suppliciter exoramus, ut sicut Esther, reginam Israel salutis causa de captivitatis suæ compede soluta ad regis assueri th/96/lamum regnique sui consortium transire fecisti, ita hanc famulam tuam, **N.**, humilitatis nostræ benedictione Christianæ plebis gratia salutis, ad dignam sublimenque regis nostri copulam misericorditer transire concedas, et ut in regalis fœdere coniugii semper mane[n]s pudica, proximam virginitati palmam obtinere queat, tibi que Deo vivo et vero in omnibus et super omnia iugiter placere desideret, et te inspirante, quæ tibi placita sunt, toto corde perficiat.

3. *Benedicit in sacri olei unctione:*

Spiritus Sancti gratia humilitatis nostræ officio in te copiosa descendat, ut sicut manibus nostris indignis oleo materiali oblita pinguescis exterius, ita eius invisibili unguine delibuta, impinguari merearis interius, eiusque unctione spiritali perfectissime semper imbuta et illicita declinare tota mente et spernere discas, seu valeas, et utilia animæ tuæ iugiter cogitare, optare atque operari queas auxiliante Domino.

4. *Ad coronæ impositionem:*

Officio indignitatis nostræ, seu congregationis in reginam benedicta, accipe coronam regalis /96/ excellentiæ, quæ licet ab indignis episcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur, unde velut exterius auro et gemmis redimita enites, ita et interius auro sapientiæ virtutumque gemmis decorari contendas, quatenus post occasum huius sæculi, cum prudentibus virginibus sponso perenni, Domino nostro Iesu Christo digne et laudabiliter occurrens, regiam cælestis aule merearis ingredi ianuam, præstante Domino nostro. /97/

¹ *Spatium inter æ et quo.*

XVIII. [Prosa]

1. [In dedicaione ecclesiæ:]

Quam dilecta tabernacula Domini virtutum et atria.

Quam amœna sunt umbracula, ubi est sanctorum ecclesia.

Quam electi architecti tuta ædificia.

Quæ non movent, immo foveant, ventus, flumen, pluvia.

Quam decora fundamenta, per concinant sacramenta umbra præcurrentia.

Latus Adæ dormientis Evam fudit, in manentis copulæ primordia.

Arca ligno fabricata Noe servat, gubernata per mundi diluvia.

Prole sera tandem foeta, anus Sara ridet læta nostrum lactans gaudium.

Servus bibit qui legatur, et camelus adaquatur ex 197¹ Rebeccæ hydria.

Hæc inaures et armillas aptat sibi, ut per illas viro fiat congrua.

Synagoga supplantatur a Iacob, dum devagatur, nimis freta latere.

Lippam Liam latent multa, quibus videt Rachel fulta pari nubit fœdere.

In bivio tegens nuda, geminos parit ex Iuda Thamar diu vidua.

Hinc Moyses a puella, dum se lavat in fiscella reperitur stirpea.

Hinc mas agnus immolatur, quo Israel satiatur, eius tutus sanguine.

Hic transitur rubens unda, Ægyptios sub profunda obruens voragine.

Hinc est urna manna 198¹ plena, hic mandata legis dena, sed in arca fœderis.

Hæc sunt ædis ornamenta, hæc Aaron indumenta, quæ præcedit poderis.

Hinc Urias induatur, Bersabee sublimatur, sedis consors regiæ.

Hæc regi^s varietate vestis astat deaurata, sicut regum filia.

Hinc venit Austri regina Salomonis quam divina condit sapientia.

Hæc nigra est, sed formosa, myrrha et thure fumosa virga pigmentaria.

Hinc futura, quæ figura obumbravit, reseravit nobis dies gratiæ.

Nam in lecto cum dilecto quiescamus et psallamus adsunt enim 198¹ nuptiæ.

Quorum princeps principatum in tubis epulantium, con¹ finis per psalterium.

Sponsum millena milia, una laudant melodia, sine fine dicentia.

Alleluia. 199¹

¹ Sic, malim: et.

XIX. Ordo minorum fratrum secundum consuetudinem Romanæ ecclesiæ ad visitandum infirmum

1. In primis pulsetur campana parvula, et fratres, qui possunt, in ecclesia conveniant. Sacerdos sit indutus sacris vestibus sine planeta, et ministri præparati accipiant oleum sanctum, aquam benedictam et crucem et duo luminaria, et pergant ad dictum, ubi iacet infirmus, dicens hunc psalmum: Miserere mei Deus. Et intrantes domum, dicat sacerdos:

Pax huic domui. **R.**

Adiutorium nostrum in nomine Domini.

2. Mox dicat sacerdos:

Dominus vobiscum. **[R.]** Et cum spiritu tuo.

3. Oratio:

INTROEAT Domine Iesu Christe domum hanc, sub nostræ humilitatis ingressa, æterna felicitatis, divina prosperitas, serena lætitia, caritas fructuosa, sanitas sempiterna, effugiat ex hoc loco accessus demonum, assint angeli pacis, domumque hanc deserat effugata discordia, magnificetur, Domine, super nos nomen tuum, et bene ✠ dic nostræ conversationi, sanctifica nostræ humilitatis ingressum, qui sanctus et pius es, et permanes cum Patre et Spiritu Sancto in sæcula sæculorum. **[R.]** Amen.

4. Oratio:

OREMUS et deprecemur Dominum nostrum Iesum Christum, ut benedicendo bene ✠ dicat hoc tabernaculum et omnes habitantes in ea, et det eis angelum bonum custodem, faciat eos servire, ad considerandum mirabilia /99/ de lege sua, avertat ab eis omnes contrarias potestates, eripiat eos ab omni formidine et ab omni perturbatiōne, ac sanos in hoc tabernaculo custodire dignetur, qui vivit et regnat cum Deo patre in unitate Spiritus Sancti. **[R.]** Amen.

5. Oratio:

EXAUDI nos, Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, et mittere digneris sanctum angelum tuum de cælis, qui custodiat, foveat, protegat atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. **[R.]** Amen.

6. Demum sacerdos accedat ad ægrotum, et faciat crucem super infirmum cum aqua benedicta, et postea aspergat per totum domum, dicendo hanc antiphonam: *Asperges cum psalmo Miserere mei Deus. Demum sacerdos audiat ab eo confessionem generalem, quam audita, ipse eum absolvat, et ex tunc clerici assistantes dicant legendo septem psalmos pœnitentiales cum litanis, et sacerdos interim donec isti legant psalmos, intingat pollicem in oleo sancto et in septem locis vel aliquantis in corpore ægri faciat signum crucis, ita dicendo:*

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti extinguatur in te omnis virtus diaboli, per impositionem manuum nostrarum immo per invocationem omnium sanctorum angelorum, archangelorum, prophetarum, patriarcharum, apostolorum, martyrum, confessorum, virginum atque simul sanctorum. [R.] Amen.

7. *Ad oculos:*

[P]er istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam parcat tibi Dominus quicquid oculorum vitio deliquisti. [R.] Amen.

8. *Ad aures:*

Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam parcat tibi Dominus, quicquid aurium vitio deliquisti. [R.] Amen.

9. *Ad nares:*

Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam parcat tibi Dominus, quicquid narium vitio deliquisti. [R.] Amen.

10. *Ad manus et pedes, ad lumbos:*

Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam parcat tibi Dominus, quicquid per tactus vel incessus aut lumborum seu carnis vitio deliquisti. [R.] Amen.

11. *Et quando sacerdos facit crucem, minister habeat stupam et tergat. Quibus omnibus peractis, et dictis psalmis, et litanis lectis, sacerdos dicat:*

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

Et ne nos.

Salvum fac servum tuum. [R.] Deus meus sperantem.

Mitte ei, Domine, auxilium de sancto. [R.] Et de Sion tuere eum.

Esto ei, Domine turris. [R.] A facie inimici.

Nihil proficiat. [R.] Et filius iniquitatis.

Domine exaudi. [R.] Et clamor meus.

Dominus vobiscum.

12. *Oratio:*

DOMINE Deus, qui per apostolum tuum locutus es, infirmatus, quis in nobis inducat presbyteros ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo sancto in

nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in periculis sit, dimittentur ei, cura, quæsumus, Redemptor noster gratia Spiritus Sancti languores istius infirmi et sua sana vulnera, eiusque dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis et corporis, ab eo expelle, plenamque /100'/ ei interius exteriusque sanitatem misericorditer redde, ut ope misericordiæ sanitati restitutus ad pristina reparetur officia. Per Christum.

13. Post hæc dicat sacerdos:

RESPICE, Domine, quæsumus, famulum tuum, **N.**, in infirmitati¹ sui corporis fatiscentem et animam refove, quam creasti, ut castigationibus em[en]datus se sentiat sua medicina salvatum.

14. [Oratio:]

DOMINE sancte Pater, omnipotens æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporis facturam tuam multiplici pietate custodis, ad invocationem tui nominis benignus as[s]iste, ut liberatum et sanitati donatum dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, ecclesiæ tuæ sanctisque altaribus tuis cum omni desiderata prosperitate restituas.

15. Oratio:

DOMINUS Iesus Christus apud te [sit], ut te defendat, circa te sit, ut te conservet, ante te sit, ut te deducat, post te sit, ut te custodiat, super te sit, ut te benedicat, qui in Trinitate vivit et regnat in sempiterna sæcula. [R.] Amen.

16. Et post hæc stupa proiiciatur in ignem.

¹ Sic, *malim*: infirmitate.

XX. Ordo ad communicandum infirmum

1. In primis pulsetur campana parvula, et fratres, qui possunt, in ecclesiam conveniant. Deinde sacerdos præparet se cum ministris, postea accipiat crucem et capsam cum corpore Christi, calicem et duo luminaria, et sic processionaliter ad cor/101'/pus ægroti accedant, dicendo psalmum Miserere mei Deus. Et tunc sacerdos prius faciat infirmum adorare et osculari crucem, postea sacerdos dicat hanc orationem:

DOMINUS Iesus Christus, qui dixit discipulis suis: quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo, de quorum numero quamvis nos indignos esse volunt, ipse absolvat te per ministerium nostrum ab omnibus peccatis tuis, quæcumque cogitatione, locutione, operatione negligenter egisti, et a nexibus peccatorum absolutum perducere dignetur ad regna cælorum. Qui cum Patre.

2. Qua finita tradat ei eucharistiam Domini, corporis intincto vino, et vinum tali unctione sanctificatum, in Christi sanguine transmutatum, dicendo:

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

3. Semel tantum, postea sacerdos dicit orationem:

Accipe, frater, viaticum corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, et perducatur ad vitam æternam. Amen.

4. Post communionem dicat orationem:

DOMINE sancte Pater, omnipotens æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri nostro sacrosanctum corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi Filii tui, tam corporis, quam animæ prosit ad remedium sempiternum. Per eundem Christum Dominum nostrum.

XXI. Ordo commendationis animæ

1. Primum fiant /101'/ litanie breves in hunc modum:

Kyrie eleison. [Ch]riste eleison. Kyrie eleison.

[S]ancta Maria. Ora pro.

Omnes sancti angeli. Orate pro.

Sancte Abel. Ora pro nobis.

Omnes sancti chorus iustorum. Orate.

Sancte Abraham. Ora pro nobis.

Sancte Ioannes baptista. Ora pro.

Omnes sancti patriarchæ et prophetæ. Orate pro eo.

Sancte Petre. Ora pro.

Sancte Paule. Ora pro eo.

Sancte Andrea. Ora pro eo.

Omnes sancti Apostoli et evangelistæ. [Orate pro eo.]

Omnes sancti innocentes. Orate pro eo.

Sancte Stephane. Ora pro eo.

Omnes sancti martyres. Orate pro eo.

Sancte Silvester. Ora pro eo.

Omnes sancti pontifices et confessores. Orate.

Sancte Francisce. Ora pro eo.

Sancte Benedicte. Ora pro eo.

Sancte Paule eremite.¹ Ora pro.
 Omnes sancti monachi et eremitæ. Orate.
 Sancta Lucia. Ora pro.
 Omnes sanctæ virgines. Orate pro eo.
 Omnes sancti et sanctæ Dei. Orate pro eo.

Propitius esto. Parce ei, Domine.
 Propitius esto. Libera eum, Domine.
 Ab ira tua. Libera eum, Domine.
 A mala morte. Libera eum, Domine.
 A periculo mortis. Libera eum, Domine.
 A pœnis inferni. Libera eum, Domine.
 A potestate inferni. Libera eum.
 Ab omni malo. Libera eum, Domine.
 Per nativitatem tuam. Libera eum.
 Per sanctam Crucem tuam. Libera eum, Domine.
 Per mortem et sepulturam tuam. [Libera eum, Domine.]
 Per gloriosam resurrectionem tuam. [Libera eum, Domine.]
 Per admirabilem ascensionem. [Libera eum, Domine.]
 Per gratiam Spiritus Sancti paracliti. Libera.
 In die iudicii. Libera eum, Domine.
 Peccatores. Te rogamus, audi.
 Ut parcas ei. Te rogamus, audi.
 Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

2. Demum pro vicino morti cum in agone sui <in agone sui> exitus anima visa fuerit /102^f/ anxari, fiat hæc oratio:

PROFICISCERE anima Christiana de hoc mundo, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creavit. In nomine Iesu Christi Filii Dei vivi, qui pro te passus est. In nomine Spiritus Sancti, qui in te effusus est. In nomine angelorum [et]² archangelorum. In nomine thronorum et dominationum. In nomine principatum et potestatum. In nomine Cherubim et Seraphim. In nomine patriarcharum et prophetarum. In nomine sanctorum apostolorum. In nomine martyrum et confessorum. In nomine sanctorum monachorum et eremitarum. In nomine virginum et omnium sanctorum et sanctarum Dei, hodie sit in pace locus tuus et habitatio tua in sancta Sion.

3. [Oratio:]

DEUS misericors, Deus clemens, Deus, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, et præteritorum criminum culpas venia re-

¹ Sic, *malim*: eremita.

² *Orig. add.*

missionis evacuas, respice propitius super hunc famulum, **N.**, et remissionem sibi omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi. Renova in eo, piissime Pater, quicquid terrena fragilitate corruptum, vel quicquid diabolica fraude violatum est, et unitati corporis ecclesiæ membrum redemptionis adnecte. Miser[er]e, Domine, gemituum, miserere lacrimarum eius, et non habentem fiduciam, nisi in misericordia tua ad tua sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum. **[R.] Amen.**

4. **[Allocutio:]**

COMMENDO te, omnipotenti Deo, carissime frater, ei, cuius es **/102'/** creatura, committo, ut cum humanitatis debitum, morte interveniente, persolveris, ad auctorem tuum, qui te de limo terræ formaverat, revertaris. Egredienti itaque animæ tuæ de corpore splendidus angelorum coetus occurrat. Iudex apostolorum tibi senatus occurrat. Candidator tibi martyrum triumphator exercitus obviet, liliata rutilantium te confessorum turma circumdet. Iubilantium chorus te virginum excipiat, et beatæ quietis in sinu patriarcharum te complexus astringat. Mitis atque festinus Christi Iesu <Christi> conspectus appareat, qui te inter assistentes sibi iugiter interesse decernat. Ignores omnes, quod horret in tenebris, quod stridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi terminus¹ Satanæ cum satellibus suis in adventu tuo, te, comitantibus angelis, contremescat atque in æternæ noctis chaos immane defugiat. Exsurgat Deus, et dissipentur inimici eius, et fugiant a <facie eius, qui oderunt eum. Sicut deficit fumus, deficient, sicut fluit cera a <facie ignis, sic pereant peccatores a <facie Dei, et iusti epulentur, et exsultent in conspectu Dei. Confundantur igitur et erubescant Tartaræ legiones et ministri Satanæ, iter tuum impedire non audeant. Liberet te a cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est. Liberet te a morte Christus, qui pro te mori dig**/103'/**natus est. Constituat te Filius Dei vivi, intra Paradisi sui semper amœna virentia, et inter oves suas te verus ille pastor agnoscat. Ille ab omnibus peccatis tuis te absolvat, atque ad dexteram suam in electorum suorum sorte te constituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas, et semper assistens manifestam beatis oculis aspicias veritatem. Constitutus inter agmina beatorum, contemplationis divine dulcedine, potiaris in sæcula sæculorum. **[R.] Amen.**

5. **[Preces:]**

Suscipe, Domine, servum tuum in locum sperandæ salvationis, a misericordia tua. **[R.] Amen.**

Libera, Domine, animam servi tui ex omnibus periculis infernorum et de laqueis pœnarum et de omnibus tribulationibus. **[R.] Amen.**

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Enoch et Eliam de communi morte mundi. **[R.] Amen.**

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Noe de diluvio. **[R.] Amen.**

¹ Sic, *malim*: teterrimus.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Abraham de Ur caldeorum. [R.] Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Iob de passionibus suis. [R.] Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Isaac de hostia et de manu patris sui¹ Abrahæ. [R.] Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Loth de Sodomis et de flamma ignis. [R.] Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Moysen de manu pharaonis regis /103^v/ Ægyptiorum. [R.] Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Daniele de lacu leonum. [R.] Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis et de manu regis iniqui. [R.] Amen.

Libera, Domine, animam servi [tui], sicut liberasti Susannam de falso crimine. [R.] Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti David de manu regis Saul et de manu Goliæ. [R.] Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Petrum et Paulum de carceribus, et sicut beatissimam Teclam virginem et matrem² tuam de tribus tormentis atrocissimis liberasti. Sic liberare digneris animam defuncti huius, et tecum facias in bonis congaudere cælestibus. [R.] Amen.

6. Oratio:

COMMENDAMUS tibi, Domine, animam famuli tui, **N.**, precamurque te, Iesu Christe, salvator mundi, ut propter quam ad terram misericorditer descendisti, patriarcharum tuorum sinibus insinuare non renuas, agnosce, Domine, creaturam tuam non ex diis alienis creatam, sed a te solo Deo vivo et vero, quia non est alius deus præter te, et non est secundum opera tua, lætifica, Domine, animam eius in conspectu tuo, et ne [me]mineris iniquitatum eius antiquarum, et ebri[e]tatum quas suscitavit, furor sive fervor mali desiderii, licet enim peccavit tamen Patrem et Filium et Spiritum Sanctum non negavit, sed credidit, et zelum Dei habuit in se, et Deum, qui fecit omnia, adoravit.

7. Oratio /104^f/

DELICTA iuventutis et ignorantias eius, quæsumus, ne[me]mineris, Domine, secundum magnam misericordiam tuam, memor esto illius in gloria claritatis tuæ, aperiantur ei cæli, collætentur illi angeli in regnum tuum, Domine, servum tuum suscipe. Suscipiat eum Sanctus Michael, archangelus Dei, qui militiæ cælestis meruit principatum. Veniant illi obviam sancti angeli Dei, et perducant eum in civitatem cælestem Ierusalem. Suscipiat eum beatus Petrus apostolus, cui a Deo claves regni cælestis sunt

¹ Ms. tui.

² Sic, *malim*: martyrem.

traditæ, adiuvet eum Sanctus Paulus, qui dignus fuit esse vas electionis. Intercedat pro eo Sanctus Ioannes, electus Dei apostolus, cui revelata sunt secreta cælestia. Orent pro illo sancti apostoli, quibus a Domino data est potestas ligandi atque solvendi. Intercedant pro eo omnes sancti Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc sæculo sustinuerunt, ut vinculis carnis exutis pervenire mereatur ad gloriam regni cælestis, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. [R.] Amen.

8. Si anxiatur adhuc anima, dicantur isti: ps. Confitemini, ps. Beati immaculati usque ad Dominum cum tribularer. Egressa autem anima, dicatur hoc responsorium, recitando: Subvenite sancti. V. Suscipiat te cum Requiem æternam.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster *private*.

Et ne nos.

Requiem æternam. [R.] Et lux.

A porta inferi. [R.] Erue Domine animam eius.

Requiescant in pace. [R.] Amen.

Domine exaudi. [R.] Et clamor.

Dominus vobiscum. /104'/

9. [Oratio:]

TIBI, Domine, commendamus animam famuli tui, N., ut defunctus sæculo tibi vivat, et quæ per fragilitatem mundanæ conversationis peccata commisit, tu venia, misericordissime Pater pietatis, absterge. Per.

10. Tunc fratres, quibus præceptum fuerit, lavent corpus, postea induant eum tunica[m], cingulum et bracas, et ponant eum in feretro, et cooperiant, et ex præcepto maioris, convocatis omnibus fratribus, stent ordinate in circuitu feretri iuxta dispo[sitionem] maioris. Sacerdos incipiat, absolute dicendo:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster *private*.

Et ne nos.

In memoria æterna erit iustus. [R.] Ab auditione mala.

Ne tradas bestiis animas confitentes. [R.] Et animas pauperum.

Non intres in iudicium cum servo tuo Domine. [R.] Quia vivificasti.

A porta inferi. [R.] Erue, Domine.

Requiescant in pace.

Domine, exaudi orationem.

Dominus vobiscum.

9. [Oratio:]

SUSCIPE, Domine, animam famuli tui, **N.**, quem¹ de e[r]gastulo, huius sæculi vocare dignatus es, et libera eam de locis pœnarum, quietis ac lucis hodie beatitudine perfruat, et inter sanctos et electos tuos in resurrectionis gloria resuscitari mereatur. Per.

10. Demum fratres ordinate vadant, et corpus portent in ecclesiam, decantando hoc responsum: Subvenite sancti cum versu Requiem æternam. Et deposito in ecclesia præparent se fratres ad cantandam vigiliam. Hebdomadarius cum socio incipiant absolute, sicut decet: Regem cui omnia vivunt. Et sollemniter et totam vigiliam cum novem lectionibus. /105'/ Interim sacerdos cum minis[tris] præparet se, et decantetur missa sollemniter ordinata, si tempus congruum fuerit. Qua finita, sacerdos sine casula cum ministris, subdiaconus cum cruce, et omnes alii gradu suo veniant ordinate cum luminaribus, et stent in circui[tu] feretri in modum rotæ. Sacer[dos] a capite incipiat, absolute:

NON intres in iudicium cum servo tuo, Domine, quia nullus apud te iustificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo eum, quæsumus, tua iudicialis sententia premat, quæm tibi vera supplicatio Christianæ fidei commendat, sed, gratia tua illi succurrente, mereatur evadere iudicium ultionis, qui cum viveret insignitus cum signaculo sanctæ Trinitatis. Qui vivis.

11. Qua finita, omnes respondeant: Amen. Postea cantor incipiat responsum:

Subvenite sancti Dei, occurrite angeli Domini, suscipientes animam eius. Offerentes eam in conspectu Altissimi. V. Suscipiat te Christus, qui vocavit te, et in sinu Abrahamæ angeli deducant /105'/ te. Offerentes. Requiem æternam.

12. Et dum cantatur responsum, sacerdos accipiat thuribulum et incenset corpus. Finito responso, cantor incipiat cum choro suo Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Tunc sacerdos dicat assantibus alta voce Pater noster, et omnes sub silentio dicant Pater noster. Et ne nos. Dominus vobiscum.

DEUS, cui omnia vivunt, et cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius, te supplices deprecamur, ut suscipi iubeas animam famuli tui, **N.**, per manus sanctorum angelorum tuorum deducendam in sinum amici tui Abrahamæ patriarchæ, resuscitandamque in novissimo iudicii magni die, et quicquid vitiorum, fallente diabolo, contraxit, tu pius et misericors abluas indulgendo. Per Christum Dominum nostrum.

13. Finita oratione, cantor incipiat hoc responsum:

Ne recorderis peccata mea, Domine, dum veneris iudicare sæculum per ignem. V. Dirige, Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam. Dum. /106'/

14. Et dum responsum cantatur, sacerdos incenset corpus defuncti, sicut prius. Finito responso, cantor incipiat Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Sacerdos autem, sicut prius, dicat circum-

¹ Orig. corr. de qui.

stantibus alta voce Pater noster et omnes sub silentio dicant Pater noster. Et ne nos. Dominus vobiscum. [R.] Et cum spiritu tuo. Oratio:

FAC, quæsumus, Domine, hanc servo tuo misericordiam defuncto, ut sanctorum in pœnis non recipiat vicem, qui tuam invotis tenuit voluntatem, ut sicut eum vera fides iunxit fidelium turmis, ita illic eum tua miseratio societ angelicis choris. Per Christum.

15. Qua finita, cantor incipiat:

Libera me, Domine, de morte æterna in die illa tremenda. Quando cæli movendi sunt et terra. Dum veneris iudicare sæculum per ignem. V. Tremens factus sum ego, et timeo, dum discussio venerit atque ventura ira. Quando. /106/ V. Dies illa dies iræ, calamitatis et miseriar, dies magna et amara valde. Dum veneris. V. Requiem æternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis. Libera me. A capite.

16. Dum responsorium cantatur, sacerdos, sicut prius, corpus incenset, cantor incipiat alte, sicut prius, cum suo choro Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Et omnes sub silentio dicant Pater noster. Et ne nos.

Requiem æternam. [R.] Et lux perpetua.

A porta inferi. [R.] Erue, Domine.

Requiescat in pace. [R.] Amen.

Domine exaudi. [R.] Et clamor.

Dominus vobiscum. [R.] Et cum.

17. Oratio:

ABSOLVE, Domine, quæsumus, animam famuli tui, N., ut defunctus sæculo tibi vivat, et quæ per fragilitatem carnis humana conversatione omisit, ut venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. [R.] Amen.

18. Finita oratione et absoluto corpore, dictus sacerdos præcipiat fratribus, ut accipiant feretrum illi accipientes deportent eum ad tumulum, et dum portatur, clerici cantent has antiphonas: /107/

In paradysum deducant te angeli, in tuo adventu suscipiant te martyres, et perducant te in civitatem sanctam Ierusalem. Chorus angelorum te suscipiat, et cum Lazaro quondam paupere habeas requiem.

19. Cum autem venerit ad tumulum sacerdos cum feretro, stet iuxta tumulum, et cantatis aniphonis, sacerdos dicat hanc orationem:

DEUS, qui fundasti terram, formasti cælos, qui loca fidelibus stabilita fixisti, qui captivum laqueo mortis hominem lavacri ablutione reparasti, qui sepultos Abraham, Isaac et Iacob in spelunca duplici in libro vitæ, atque totius gloriæ principes¹ adnotasti benedicendos, ita benedicere digneris hunc tumulum famuli tui, N., ut hic

¹ Ms. principes.

eum requiescere facias, ut in sinu Abrahæ, Isaac et Iacob collocare digneris, qui Dominum nostrum Iesum Christum contritis laqueis infernorum, credentium resurgere se suorumque membra resuscitare iussisti, respice, /107/ Domine, super hanc fabricam sepulturæ, descendet ad eam, Domine, Spiritus tuus Sanctus, ut, te iubente, sit in hoc loco famulo tuo, N., quieta dormitio, et tempore iudicii tui cum sanctis omnibus vera resuscitatio, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum ... vivit et.

20. Dicta oratione accipiat aquam benedictam, et aspergat corpus defuncti et tumulum, et postea similiter incenset. His peractis in persona defuncti dicatur antiphona, et cantor eam incipiat: Antiphona:

Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino. Ps. Confitemini.

21. Item in persona eius dicatur: Antiphona:

Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. Ps. Quemadmodum.

22. Et sepulto in perso[na] eiusdem dicitur: Antiphona:

Hæc requies mea in sæculum sæculi hic habitabo, quoniam elegi eam. Ps. Memento Domine.

23. Antiphona:

Dextera formasti me, carne induisti /108/ me, Redemptor meus, Domine, resuscita me in novissimo die. Ps. Domine probasti.

24. Antiphona:

Non intres in iudicium cum servo tuo, Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Ps. Domine exaudi.

25. Antiphona:

Omnis spiritus laudet dominum. Ps. Laudate Dominum.

26. Antiphona:

Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet, et omnis, qui credit in me, non morietur in æternum. Ps. Benedictus.

27. Et interim, donec istæ antiphonæ cantantur, sacerdos dicat has orationes: Oratio:

OREMUS, fratres carissimi, pro spiritu fratris nostri, quem Dominus de laqueo huius sæculi liberare dignatus est, cuius corpusculum hodie sepulturæ traditur, ut eum pietas Domini in sinu Abrahæ et Isaac et Iacob collocare dignetur, ut cum iudicii dies advenerit, inter sanctos et /108/ electos suos eum in parte dextera collocandum resuscitari faciat. Per Dominum nostrum.

28. Oratio:

DEUS, cui omnia vivunt, et cui non pereunt moriendo fidelium corpora, sed mutantur in melius, te supplices deprecamur, ut quicquid anima famuli tui, **N.**, vitiorum, quæ tuæque¹ voluntati contrarium, favente diabolo, seu propria iniquitate vel fragilitate contraxit, tu pius et misericors abluas indulgendo, eamque suscipi iubeas per manus sanctorum angelorum tuorum, deducendam in sinum patriarcharum tuorum, Abrahæ, scilicet amici tui, et Isaac, electi tui, et Iacob, dilecti tui, quo aufugit dolor atque tristitia et suspirium fidelium, quoque animæ felici iucunditate lætantur, et in novissimo iudicii magni die inter sanctos et electos tuos eam facias perpetuæ gloriæ percipere portionem, quam oculus non audivit,² nec auris audivit, et in cor hominis non ascendit, quam præparasti diligentibus te.

29. Oratio:

TEMERITATIS quidem est, Domine, ut homo hominem, cinis cinerem, mortalis mortalem tibi, Domino Deo nostro audeat commendare. Sed, quia terra suscipit terram, et pulvis convertitur in pulverem, donec omnis caro in suam redigatur originem, vide tuam piissime Pater, lacrimabiliter quæsumus, pietatem, ut huius famuli tui, **N.**, animam, quam de /109/ huius sæculi cænulenta voragine dulcis ad patriam Abrahæ, amici tui sinu recipias, et refrigerii rore perfundas. Sit ab æstuantis gehennæ in cendio segregata, et beata requiei tuæ, te donante, coniuncta, et si quæ sunt illi, Domine, digne cruciatibus culpæ, tu eas gratia mitissimæ lænitatis indulge, nec peccati recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem. Sed indulgentiæ tuæ piam sentiat bonitatem. Cumque, finito mundi termino, supenum cunctis illuxerit regnum, novus homo sanctorum omnium cætus aggregatus, cum electis tuis resurgat, in parte dextera collocandus. Per Dominum nostrum.

30. Oratio:

OPUS est misericordiæ, Domine sancte Pater, omnipotens æterne Deus, rogare pro aliis, et quamquam nobis non sufficimus, suscipe, rogamus, animam servi tui, **N.**, revertentem ad te, adsit ei angelus testamenti tui, Michael, libera eum, Domine, de principibus tenebrarum et de locis pœnarum, ne famulus tuus ullis, iam primævæ natiuitatis vel ignorantiae confundatur erroribus, agnoscatur a tuis, et misericordia bonitatis tuæ ad locum refrigerii et quietis in sinum Abrahæ transferatur.

31. Oratio:

DEBITUM humani corporis sepeliendi officium fidelium more complentes Deum, cui omnia vivunt, fideliter deprecemur, ut hoc corpus fratris nostri, **N.**, a nobis

¹ Sic, malim: tuæ.

² Sic, malim: vidit.

in infirmi/109*/tate sepultum, in ordine sanctorum suorum resuscitet, et eius spiritum sanctis ac fidelibus aggregari iubeat, cum quibus inenarrabili gloria et perenni felicitate perfrui mereatur. Per Dominum.

32. Oratio:

OMNIPOTENS sempiternæ Deus, qui humano corpori animam inspirare dignatus es, dum, te iubente, pulvis redit in pulverem, tu imaginem tuam cum sanctis et electis tuis æternis sedibus percipias¹ sociari. Per.

33. His omnibus expletis, postquam sepultus fuerit, sacerdos cum aqua sancta aspergat tumulum, et dicat alta voce:

Orate omnes.

34. Et omnes sub silentio dicant: Pater noster.

Et ne nos.

Non intres in iudicium cum servo tuo. [R.] Quia non.

A porta inferi. [R.] Erue, Domine, animam eius.

Domine exaudi. [R.] Et clamor meus.

Dominus vobiscum.

35. [Oratio:]

SATISFACIAT tibi, quæsumus, Domine Deus noster pro anima famuli tui fratris nostri, beatissime Dei Genitricis, semperque virginis Mariæ, et sanctissimi confessoris tui Francisci, omnium sanctorum tuorum oratio et præsentis familiæ humilis et devote² supplicatio, ut peccatorum omnium veniam, quam precamur, obtineat, nec eum paciaris cruciari gehennalibus flammis, quem Filii tui Domini nostri Iesu Christi prætioso sanguine redemisti. Qui tecum vivit.

36. Dominus vobiscum. [R.] Et cum spiritu tuo. Sacerdos dicat:

Anima eius et omnium fidelium defunctorum requiescant in pace. [R.] Amen.

37. [Responsorium:]

Memento mei, Deus, quia /110/ ventus est vita mea, nec aspiciat me visus hominis. V. De profundis clamavi ad te, Domine, Domine, exaudi vocem meam. Nec. Requiem æternam.

¹ Sic, malim: precipies.

² Sic, malim: devota.

38. Cumquo¹ revertantur in ecclesia, et ordinate stent in choro, finito responsorio, sacerdos dicat Pater noster. Et ne sicut superius notatum est, cum oratione hac:

TIBI, Domine, commendamus animam famuli tui, **N.**, ut defunctus sæculo tibi vivat, et peccata, quæ per fragilitatem mundanæ conversationis commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Dominum nostrum.

¹ Sic, *malim*: cumque.

XXII. [Septem psalmi pænitentiales]

1. Antiphona:

Ne reminiscaris, Domine, peccata mea.

2. [Psalmus:]

DOMINE, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum, sana me, Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea. Et anima mea turbata est valde. Sed tu, Domine, usquequo? Convertere, Domine, et eripe animam meam, salvum [me] fac propter misericordiam tuam. Quoniam non est in morte, qui memor sit tui. In inferno autem quis confitebitur tibi? Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrimis meis stratum meum rigabo. Turbatus est a furore oculus meus, inveteravi inter omnes inimicos meos. Discedite a me, omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei. Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit. Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei, convertantur et erubescant valde velociter.

3. Psalmus David:

BEATI, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non putavit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus. Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die. Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua, conversus sum in ærumna mea, dum confringitur spina. Delictum meum cognitum tibi feci, et iniustitiam meam non abscondi. Dixi: Confitebor adversum me iustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt. Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me, exultatio mea, erue me a circumdantibus me. Intellectum tibi dabo et instruam te in via, qua gradieris, firmabo super te oculos meos. Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. Cum castrum et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino miseri-

cordia circumdabit. Lætamini in Domino et exsultate, iusti, et gloriamini, omnes recti corde.

4. *Psalmus David:*

DOMINE, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam. Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis a facie¹ peccatorum meorum. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me. Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ. Miser factus sum et curvatus sum usque in finem, tota die contristatus ing[r]ediebar. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea. Afflictus sum et humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei. Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus. Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum. Amici² mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt. Et qui iuxta me erant, de longe steterunt, et vim faciebant, qui quærebant animam meam. Et qui quærebant mala mihi, locuti sunt vanitates, /111/ et dolos tota die meditabantur. Ego autem tamquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens et non habens in ore suo redargutiones. Quoniam in te, Domine, speravi, tu exaudies me, Deus meus. Quia dixi: Nequando supergaudeant mihi inimici mei, et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt. Quoniam ego in flagella pa~~r~~ratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo. Inimici autem mei vivunt et confortati sunt super me, et multiplicati sunt, qui oderunt me inique. Qui retribu[un]t mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem. Non derelinquas me, Domine Deus meus, ne dis~~s~~cesseris a me. Intende in adiutorium meum, Domine Deus salutis meæ.

5. *Psalmus David:*

MISERERE mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius lava me ab iniquitate, et a peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, et peccatum contra me est semper. Tibi soli peccavi et malum coram te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis et vincas, cum iudicaris. Ecce enim, in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit /112/ me mater mea. Ecce enim, veritatem dilexi³, incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor. Auditui meo dabis gaudium et lætitiā, et exsultabunt ossa humiliata. Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in

¹ Ms. affacie.

² Ms. imici.

³ Sic, malim: dilexisti.

visceribus meis. Ne proicias me a facie tua, et spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi lætitiā salutaris tui, et spiritu principali confirma me. Docebo iniquos vias tuas, et impij ad te convertentur. Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ, et exaltabit lingua mea iustitiā tuam. Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam. Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaveris. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias. Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Ierusalem. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes et holocausta, tunc imponent super altare tuum vitulos.

6. [Psalmus:]

DOMINE, exaudi orationem meam, et clamor /112'/ meus ad te veniat. Non avertas faciem tuam a me, in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam. In quacumque die invocavero te, velociter exaudi me. Quia defecerunt sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut cremium aruerunt. Percussus sum ut fenum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ. Similis factus sum pellicano solitudinis, factus sum sicut nocticorax in domicilio. Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto. Tota die exprobrabant mihi inimici mei, et qui laudabant me, adversum me iurabant. Quia cinerem tamquam panem manducabam, et poculum meum cum fletu miscebam. A facie iræ indignationis tuæ, quia elevans allisisti me. Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut fenum arui. Tu autem, Domine, in æternum permanes, et memo[r]iale tuum in generationem et generationem. Tu exurgens misereberis¹ Sion, quia tempus miserendi eius, quia venit tempus. Quoniam placuerunt servis tuis lapides eius, et terræ eius miserebuntur. Et timebunt gentes nomen tuum, Domine, et omnes reges terræ gloriam tuam. Quia ædificavit Dominus Sion, et videbitur /113'/ in gloria sua. Respexit in orationem humilium, et non sprevit precem eorum. Scribantur hæc in generatione altera, et populus, qui creabitur, laudabit Dominum. Quia prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cælo in terram aspexit. Ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum. Et annuntiet in Sion nomen Domini, et laudem eius in Ierusalem. In conveniendo populos in unum et reges, ut serviant Domino. Respondit ei in via virtutis suæ: Paucitatem dierum meorum nuntia mihi. Ne revoces me in dimidio dierum meorum in generationem et generationem anni tui. Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent.² Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur, tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. Filii servorum tuorum habitabunt, et semen eorum in sæculum dirigetur.

¹ *Sic, malim:* misereberis.

² *Ms.* veterascent.

7. [Psalmus:]

DE profundis clamavi ad te, Domine, Domine, exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentem in vocem deprecationis meæ. Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit.¹ Quia apud te propitiatio est, et propter legem tuam sustinui te, Domine. Sustinuit anima mea in verbo eius, speravit anima mea in Domino. A custodia matutina usque ad noc/113⁹/tem speret Israel in Domino. Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud Deum redemptio. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.

8. Psalmus David:

DOMINE, exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua, exaudi me in tua iustitia. Et non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Quia persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam. Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi, et anxius est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum. Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditar. Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi. Velociter exaudi me, Domine, defecit spiritus meus. Non avertas faciem tuam a me, et similis ero descendentibus in lacum. Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi. Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam. Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in æquitate tua. Educes de tribulatione animam meam, et in misericordia tua disperdes inimicos meos. Et perdes omnes, qui tribulant /114⁷/ animam meam, quoniam ego servus tuus sum.

9. Antiphona:

Ne reminiscaris, Domine, delicta mea vel parentum nostrum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

10. Litanía:

Kyrie eleison. Christe eleison. Christe audi nos. *Require ut supra.*

10. Litanía:

DOMINE Iesu Christi, Filius Dei vivi, per quem sancta sunt omnia, sine cuius misericordia humana fragilitas subsistere nullatenus potest, tu clementissime Domine acceptos dignare habere hos psalmos, quos cantabimus in honore nominis tui pro nobis peccatoribus et pro amicis et familiaribus nostris, et pro omnibus fidelibus vivis atque defunctis, da nobis de præteritis peccatis veniam, de præsentibus emendationem, de futuris cautelam, et omnem malam consuetudinem peccandi a nobis repelle, et da nobis

¹ Ms. sustinebis.

virtutem bene operandi, et constantiam animi in bonis operibus perseverandi, et post hanc miseram et caducam vitam, animam nostram ad vitam perducere digneris æternam. Qui cum Deo.

XXIII. Quindecim gradus

1. [Psalmus:]

AD Dominum, cum tribularer, clamavi, et exaudivit me. Domine [l]ibera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa. Quid detur tibi aut quid apponatur tibi, ad linguam dolosam. Sagittæ potentis acute cum carbonibus desolatoris. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus ... Cum hiis, qui hoderunt ...

2. [Psalmus:]

LEVAVI oculos meos ... Auxilium meum a Domino, /114'/ qui fecit cælum et terram. Non det in commotionem pedem ... Ecce, non dormitabit neque dormiet, qui ... Dominus custodit te, Dominus prote[c]tio tua super ... Per diem sol non uret te, neque luna per noctem. Dominus custodit te ab omni malo, custodiat ... Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum ex hoc nunc et usque in sæculum.

3. [Psalmus:]

LÆTATUS sum in his, quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atriis ... Ierusalem, quæ ædificatur ut civitas, cuius parti[ci]patio eius ... Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium ... Quia illic sederunt sedes in iudicio, sedes super ... Rogate,¹ quæ ad pacem sunt, Ierusalem, et abundantia ... Fiat pax in virtute tua, et abundantia in ... Propter fratres meos et proximos meos loquebar ... Propter domum Domini Dei nostri quæsivi bona tibi.

4. [Psalmus:]

AD te levavi oculos meos, qui habitas in cælis. Ecce, sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum. Et sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ ... Miserere nostri, Domine, miserere nostri, quia multum ... Quia multum repleta est anima mea opprobrium abundantibus et despectio superbis.

5. Psalmus:

NISI quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi, quia Dominus ... Cum exsurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos. /115'/ Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos. Torrentem pertransivit anima nos-

¹ Ms. Rggate.

tra ... Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, et nos liberati sumus. Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum et terram. Gloria Patri.

6. [Preces:]

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster. Et ne nos.

PRO OMNI GRADU ECCLESIAE

Sacerdotes tui.

Domine exaudi orationem meam. [R.] Et clamor.

Dominus vobiscum. [R.] Et cum spiritu.

7. [Oratio:]

OMNIPOTENS sempiternae Deus, cuius Spiritu totum corpus ecclesiae sanctificatur et regitur, exaudi nos pro universis ordinibus supplicantes, ut gratiae tuae munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviat. Per Christum Dominum.

8. [Psalmus:]

QUI confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in aeternum, qui habitat in Ierusalem ... Quia non derelinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, ut non extendant iusti ab iniquitate manus suas. Benefac, Domine, bonis et rectis corde. Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem, pax super Israel.

9. Psalmus David:

IN convertendo Dominus captivitatem Sion facti sumus sicut consolati. Tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra in exultatione. Tunc dicent inter gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis. Mag/115/nificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes. Convertere,¹ Domine, captivitatem nostram sicut torrens in Austro. Qui seminant in lacrimis, in exultatione metent. Euntes ibant et flebant mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.

¹ Sic, malim: Converte.

10. Psalmus:

NISI Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. Cum dederit dilectis suis somnum. Ecce, hereditas Domini filii, merces, fructus ventris. Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum. Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis, non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.

11. Psalmus:

BEATI omnes, qui time[n]t Dominum, qui ambulant in viis eius. Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es et bene tibi erit. Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce, sic benedicetur homo, qui timet Dominum. Benedicat tibi Dominus ex Sion, et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ. Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.

12. Psalmus:

SÆPE expugnaverunt /116'/ me a iuventute mea, dicat nunc Israel: Sæpe expugnaverunt me a iuventute mea, etenim non potuerunt mihi. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam. Dominus iustus concidet cervices peccatorum, confundantur et convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion. Fiant sicut fenum tectorum, quod priusquam evellatur, exaruit. De quo non implevit manum suam, qui metit, et sinum suum, qui manipulos colligit. Et non dixerunt, qui præteribant: Benedictio Domini super vos, benediximus vobis in nomine Domini. Gloria Patri.

13. [Preces:]

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster. Et ne nos.

PRO CUNCTO POPULO CATHOLICO

Salvum fac populum tuum, Domine.
Dominus vobiscum.

14. Oratio:

PRÆTENDE, Domine, fidelibus tuis dexteram cælestis auxilii, ut te toto corde perquirant, et quæ digne postulant consequi mereantur. Per.

15. *Psalmus:*

DE profundis clamavi ad te, Domine, Domine, exaudi vocem meam. F[i]ant aures tuæ intendentem in vocem deprecationis meæ. Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit. Quia apud te propitiatio est, et propter legem tuam sustinui te, Domine. Sustinuit anima mea in verbo eius, speravit anima mea in Domino. A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino. Q[u]ia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israel ex omnibus /116'/ iniquitatibus eius.

16. *Psalmus David:*

DOMINE, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me. Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam. Sicut ablactatus super matre sua, ita retributio in anima mea. Speret Israel in Domino ex hoc nunc et usque in sæculum.

17. *Psalmus David:*

MEMENTO, Domine, David et omnis mansuetudinis eius. Sicut iuravit Domino, votum vovi Deo Iacob: Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei. Si dederò somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem. Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Ecce, audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvæ. Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius. Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ. Sacerdotes tui induantur iustitia, et sancti tui exsultent. Propter David, servum tuum, non avertas faciem Christi tui. Iuravit Dominus David veritatem et non frustrabitur eum: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea hæc, quæ docebo eos. Et filii eorum usque in sæculum sedebunt super sedem tuam. Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem /117'/ sibi. Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Viduam eius benedicens benedicam, pauperes eius saturabo panibus. Sacerdotes eius induam salutari, et sancti eius exsultatione exsultabunt. Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo. Inimicos eius induam confusione, super ipsum autem effloreat sanctificatio mea.

18. *Psalmus:*

ECCE, quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum. Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Quod descendit in oram vestimenti eius, sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion. Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in sæculum.

19. *Psalmus:*

ECCE, nunc benedicite Domino, omnes servi Domini. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Domino. Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cælum et terram.

20. [Versiculus:]

Requiem æternam. [R.] Et lux.

21. [Preces:]

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster. Et ne nos inducas.

[PRO FIDELIBUS DEFUNCTIS]

A porta inferi. [R.] Erue, Domine, animas eorum.
 Credo videre bona Domini. [R.] In terra viventium.
 Domine, miserere eis. [R.] Christe, parce eis.
 Domine, exaudi orationem meam.
 Dominus vobiscum.

22. Oratio:

FIDELIUM Deus, omnium Conditor et Redemptor animabus famulorum famularumque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis /117' supplicationibus consequantur. Per.

XXIV. [Præparatio ad missam]

1. Psalmus:

QUAM dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum, ubi reponat pullos suos. Altaria tua, Domine virtutum, rex meus et Deus meus. Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrimarum, in loco, quem posuit. Etenim benedictiones dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam, auribus percipe, Deus Iacob. Protector noster, aspice, Deus, et respice in faciem Christi tui. Quia melior est dies una in atriis tuis super milia. Elegi abiectus esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Quia misericordiam et veritatem diligit Deus, gratiam et gloriam

dabit Dominus. Non privabit bonis eos, qui ambulant [in]¹ innocentia, Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

2. Psalmus:

BENEDIXISTI, Domine, terram tuam, avertisti captivitatem Iacob. Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum. Mitigasti omnem iram tuam, avertisti ab ira indignationis tuæ. Converte nos, Deus salutaris noster, et averte iram tuam a nobis. Numquid in æternum /118'/ irasceris nobis, aut extends iram tuam a generatione in generationem. Deus, tu conversus vivificabis nos, et plebs tua lætabitur in te. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis. Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam. Et super sanctos suos et in eos, qui convertuntur ad cor. Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius, ut inhabitet gloria in terra nostra. Misericordia et veritas obviaverunt sibi, iustitia et pax osculatæ sunt. Veritas de terra orta est, et iustitia de cælo prospexit. Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum. Iustitia ante eum ambulavit, et ponet in via gressus suos.

3. Psalmus:

INCLINA, Domine, aurem tuam et exaudi me, quoniam inops et pauper sum ego. Custodi animam meam, quoniam sanctus sum, salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te. Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die, lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi. Quoniam tu, Domine, suavis et mitis, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te. Auribus percipe, Domine, orationem meam, et intende voci deprecationis me[æ].² In die tribulationis meæ clamavi ad te, quia exaudisti me[æ]. Non est similis tui in diis, Domine, et non est secundum opera tua. Omnes gentes, quascumque fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt nomen tuum. Quoniam magnus es tu /118'/ et faciens mirabilia, tu es Deus solus. Deduc me in via tua, et ingrediar in veritate tua, lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in [æ]ternum. Quia misericordia tua magna est super me, et eripuisti animam meam ex inferno inferiori. Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quæsierunt animam meam, et non proposuerunt te in conspectu suo. Et tu, Domine miserator et misericors, patiens et multæ misericordiæ et verax. Respice in me et miserere mei, da imperium tuum puero tuo, et salvum fac filium ancillæ tuæ. Fac mecum signum in bono, ut videant, qui me oderunt, et confundantur, quoniam tu, Domine, adiuvistis me et consolatus es me.

¹ *Orig. add.:* i.

² *Orig. add.*

4. Psalmus:

CREDIDI, propter quod locutus sum: Ego autem humiliatus sum nimis. Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam coram omni populo eius, pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. O Domine, quia ego servus tuus, ego servus et filius ancillæ tuæ. Disrupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius, in atriis domus Domini, in medio tui, Ierusalem.

5. Psalmus:

DE profundis clamavi ad te, Domine ... /119/ Fiant aures tuæ intendentes ... Si iniquitates observaveris ... Quia apud te propitiatio est ... Sustinuit anima mea in verbo ... A custodia matutina usque ... Quia apud Dominum misericordia, et copiosa ... Et ipse redimet Israel ex omnibus ... Gloria Patri ... Sicut erat in principio.

6. Antiphona:

NE reminiscaris, Domine, delicta mea, vel parentum meorum, neque vindictam sumas de peccatis meis.

7. Litania:¹

Kyrie eleison. Christe eleison.

Christe, audi nos.

Pater de cælis Deus. Miserere nobis.

Filius Redemptor mundi. Miserere.

Spiritus Sancte Deus, illuminator mundi. Miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus. Miserere.

Sancta Dei Genitrix Virgo semper Maria. Ora pro nobis.

Sancta Virgo virginum. Ora.

Sancta Regina cælorum. Ora.

Sancte Michael. Ora.

Sancte Gabriel. Ora pro nobis.

Omnes sancti angeli et archangeli. [Orate pro nobis.]

Omnes sancti superni cives. Orate.

Omnes sancti patriarchæ et prophetæ. [Orate pro nobis.]

Omnes sancti apostoli et evangelistæ. [Orate pro nobis.]

Omnes sancti discipuli Domini. Orate.

Omnes sancti innocentes. Orate.

Omnes sancti martyres. Orate.

¹ Ms. post primum miserere nobis.

Omnes sancti sacerdotes. Orate.
 Omnes sancti levitæ. Orate.
 Omnes sancti anachoretæ. Orate.
 Omnes sancti monachi. Orate.
 Omnes sancti confessores. Orate.
 Omnes sanctæ virgines. Orate.
 Omnes sanctæ viduæ. Orate.
 Omnes sanctæ coniugatæ. Orate.
 Omnes sancti continentes. Orate.
 Omnes sancti pænitentes. Orate.
 Omnes sanctæ iustorum animæ. Orate.
 Omnes sancti electi Dei. Orate.

Fili Dei. Te rogamus, audi nos.
 Mediator¹ Dei et hominum. Te rogamus.

Agnus Dei, qui tollis peccata /119/ mundi, parce nobis, Domine.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
 Christe,² audi nos. Christe, audi nos.

8. [Preces:]

Kyrie eleison. Christe eleison.

Pater noster. Et ne nos.

Ego dixi Domine, miserere mei. [R.] Sana anima[m] mea[m], quia peccavi tibi.
 Convertere, Domine, aliquantulum. [R.] Et deprecare super servos tuos.
 Fiat misericordia tua, Domine, super nos. [R.] Quemadmodum.
 Sacerdotes tui induantur iustitia. [R.] Et sancti tui exultent.
 Ab occultis meis munda me. [R.] Et ab alienis parce.
 Domine, exaudi orationem meam. [R.] Et clamor meus.
 Dominus vobiscum.

9. [Oratio:]

NON de meritorum meorum qualitate confisus præsumo accedere ante conspectum tuum sanctum, Domine Deus, sed pro tua ineffabili pietate, qui dignatus es peccatores ad tuam misericordiam vocare, et ad te venientibus dignatus es piissimam indulgentiam et sempiternam gratiam conferre. Tu enim a tua pietate nullum repellis, sed ad te venientibus tuæ misericordiæ et pietatis dignanter sinum aperis, et ad sacramentum piissimæ reconciliationis tuæ clementer admittis, et gratiæ tuæ parti-

¹ Ms. Pediator.

² Ms. Ap'e.

cupem efficis, qui vocas ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt, qui facis de indignis dignos, de peccatoribus iustos, de immundis mundos, qui iustificas impios, et vivificas mortuos, et in infirmitate virtute tribuis. Tu ergo, Domine, fac in me peccatore opus magnæ misericordiæ et pietatis immensæ tuæ, gratiæ sempiternæ, non pro meis meritis, sed pro /120/ tuis miserationibus multis et magnis. Mitte tuum Spiritum Sanctum paraclitum de cælis, illuminatorem et sanctificatorem tuæ sanctæ ecclesiæ, quo tu, Deus, illuminasti et sanctificasti et confirmasti corda sanctorum apostolorum et cæterorum tuorum fidelium, ut ipse tuus Spiritus Sanctus dignanter adveniens cor meum inflammet et expurget, ut mundum tuæ gratiæ habitaculum efficiat, et omnes sensus meos purificet et clarificet, et ministerium servitutis meæ faciat in conspectu tuo acceptabile, et nobis salutare misericordia tua tribuente, tua virtute operante, tua gratia confirmante, quia tu es creator omnium et Deus, tibi est omnis honor et gloria, per Iesum Christum unigenitum Filium tuum Dominum Deum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

10. [Oratio:]

SUMME sacerdos et vere pontifex, qui te obtulisti sacrificium Deo Patri hostiam [puram et]¹ immaculatam in ara crucis pro nobis miseris peccatoribus, quique dedisti nobis carnem tuam ad manducandum et sanguinem tuum ad bibendum, et posuisti ministerium istud in virtute Spiritus tui, dicens: « Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis », rogo per sanguinem tuum pretiosum, magnum salutis nostræ pretium, rogo per miram et ineffabilem caritatem, qua nos miseros et indignos sic amare dignatus es, ut nos lavares a peccatis nostris in sanguine tuo, doce me, ser/120/vum tuum indignum, quem inter cetera dona tua ad officium sacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, sed sola dilectione tuæ ecclesiæ, doce me, quæso, per Spiritum Sanctum tuum tantum tractare mysterium ea reverentia et honore, eaque devotione et timore, quibus oportet et decet. Fac me etiam per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere et intelligere, sentire et firmiter retinere, dicere et cogitare, quod tibi placet et expedit animæ meæ. Intret Spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, et sine strepitu humanorum verborum loquatur omnem veritatem tantorum mysteriorum, profunda quippe sunt nimis et sacro tecta velamine. Sed tu propter magnam clementiam tuam concede mihi missarum sollempnia puro corde et munda mente celebrare. Libera cor meum ab immundis, et nefandis vanis et noxiis cogitationibus. Muni me sanctorum angelorum tuorum pia et fida tutela atque fortissima custodia, ut hostes omnium bonorum confusi discedant per virtutem tanti mysterii, et per manum sancti angeli tui repelle a me, et a cunctis servis tuis durissimum spiritum scænodoxiæ invidiæ et blasphemix fornicationis et nequitix, immunditiæ, dubietatis et diffidentix. Confundantur, qui me persequuntur, pereant illi, qui me perdere festinant. Rex virginum, amator castitatis et integritatis, Deus, cælesti rore benedictionis tuæ exstingue /121/ in corpore meo totum fontem ardentis libidinis, ut maneat in me tenor totius

¹ *Orig. add.*

castitatis corporis et animæ. Mortifica in membris meis stimulos carnis omnesque libidinosas commotiones. Da mihi veram et perpetuam caritatem cum ceteris bonis tuis, quæ tibi placent in veritate, ut sacrificium laudis casto corpore et mundo corde hodie et cottidie offeram tibi. Quanta enim cordis contritione et lacrimarum fonte. Quanta reverentia et timore. Quanta caritate et animæ puritate hoc divinum et cæleste mysterium cælebrandum? Ubi, Domine, caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi summa imis coniunguntur, ubi ad sanctorum angelorum præsentia, ubi tu es sacerdos et sacrificium ineffabiliter et mirabiliter consecratur. Quis digne hoc potest cælebrare, nisi tu, Deus, offerentem feceris¹ dignum? Scio enim, et vere scio, et id bonitati tuæ confiteor. Qui non sum dignus accedere ad tantum mysterium propter nimia peccata et infinitas negligentias meas. Sed scio, [et]² veraciter scio, et ex toto corde credo et ore confiteor, quia potes me facere dignum. Qui solus potes facere mundum de immundo conceptum semine, qui de peccatoribus iustos facis et sanctos. Per hanc igitur omnipotentiam tuam te rogo, ut concedas mihi sacrificium celebrare cum timore, cum cor dispuritate, cum lacrimarum fonte, cum lætitia et gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem /121/ beatissimæ presentia tuæ, et excubias sanctorum angelorum tuorum. Ego enim memor venerandæ passionis tuæ, accedo ad altare tuum licet peccator, ut offeram sacrificium, quod tu institui et offerri præcepisti, in commemoratione tu[a]³ pro salutare nostra. Peto clementiam tuam, ut descendat super panem et calicem plenitudo divinitatis tuæ. Descendat etiam, Domine, illa Spiritus tui invisibilis incomprehensibilisque maiestas, sicut quondam in patrum hostias descendebat, qui et oblationes nostras corpus tuum et sanguinem efficiat, et me indignum sacerdotem tuum doceat tantum tractare mysterium, cum cordis puritate et lacrimarum fonte cum reverentia et tremore, ita, ut placite ac benigne sacrificium suspicias de manibus meis ad salutem omnium, tam vivorum, quam defunctorum. Rogo te, Domine, per ipsum sacrosanctum ministerium corporis et sanguinis tui, quo cottidie in ecclesia pascimur, et potamur, abluimur et sanctificamur, atque unius summæque divinitatis participes efficimur, quatenus des mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus bona conscientia ad altare tuum accedam, ita ut hæc cælestia sacramenta efficiantur mihi salus et vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto et benedicto: « Panis, quæm ego dederò, caro mea est pro mundi vita. Qui manducat me, vita vivet propter me. Ipse manet in me, et ego in eo. Ego sum panis vivus, qui de cælo /122/ descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. » Panis dulcissimæ sana palatum cordis mei, ut sentiat suavitatem amoris tui. Sana ab omni languore, ut nullam præter te sentiat dulcedinem, nullam præter te amet pulchritudinem. Panis candidissime, habens omne delectamentum, qui nos semper reficis, et in te numquam deficis. Comedat te cor meum et dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ. Manducat te angelus pleno ore, manducat te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit tali recreatus viatico. Panis sancte, Panis vive, Panis pulcher, Panis munde, qui descendisti de cælo, et das vitam mundo, veni in cor meum, et munda me

¹ *Orig. corr. de fecerit.*

² *Orig. add.*

³ *Orig. add.*

ab omni inquinamento carnis et spiritus. Intra in animam meam, sana et sanctifica me interius [et]¹ exterius. Esto tutamen et continua salus corporis et animæ meæ. Repelle a me insidiantes mihi hostes, recedant procul a præsentia tuæ potentiæ,² ut foris et intus munitus per te, recto tramite ad regnum tuum perveniam, ubi non mysteriis sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum tuum Deo Patri, et Deus erit omnia in omnibus. Tunc enim me de te saciabis facietate mirifica, ita ut neque esuriam neque sitiam in æternum. Qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas, Deus, per omnia sæcula sæculorum. [R.] Amen.

11. Oratio:

FAC me, quæso, omnipotens Deus, ita iustitia indui, ut sanctorum tuorum merear /122/ exultatione lætari, quatenus emundatus ab omnibus sordibus peccatorum, consortium adipiscar tibi placentium sacerdotum, meque misericordia tua a vitiis omnibus exuat, quem reatus propriæ conscientiæ gravat. Per Dominum.

12. Oratio:

AURES tuæ pietatis mitissimæ, Deus, inclina precibus meis, et gratia Spiritus Sancti Paracliti illumina cor meum, ut tuis mysteriis digne ministrare, teque æterna caritate diligere merear. Per Dominum.

13. Oremus. [Oratio:]

DEUS, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum, purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere et digne laudare mereamur. Per Dominum.

14. Oratio:

ASSIT nobis, quæsumus, Domine, virtus Spiritus Sancti, quæ et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis. Per.

15. Oratio:

URE igne Sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine, ut tibi casto corde serviamus, et mundo corpore placeamus. Per.

16. Oratio:

DEUS, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere.

¹ *Orig. add.*² *Orig. corr. de præsentia.*

17. Oratio:

MENTES nostras, quæsumus, Domine, paraclitus, qui a te procedit, illuminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem. Per Dominum.

18. Oratio:

CONSCIENTIAS nostras, quæsumus, Domine, visitando purifica, ut veniens unigenitus Filius tuus Dominus noster, cum omnibus sanctis tuis paratam sibi in nobis inveniatur mansionem. Per.

19. Dum exuit clamidem: /123'/

EXUE me, Domine, veterem hominem cum actibus suis, et indue me novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis. Per Christum Dominum.

20. Ad calceos:

CALCIA, Domine, pedes meos in præparationem evangelii pacis, et protege me in velamento alarum tuarum. Per.

21. Dum pectit:

CORRIPE me, Domine, in misericordia, et increpa me, oleum autem peccatoris non inpinguet caput meum. Per.

22. Dum lavat manus:

DA nobis, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut a nobis exterius abluuntur inquinamenta manuum nostrarum, ita a te interius mundentur pollutiones mentium, et crescant in nobis augmenta sanctarum virtutum. Per Christum.

23. Dum tergit manus:

DA, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam immun-dam, ut sine pollutione mentis et corporis servire tibi valeam. Per Christum.

24. Ad humerale:

PONE, Domine, galeam salutis super caput meum ad expugnandam et superandam diabolicam fraudem, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

25. Ad albam:

Indue me, Domine, vestimento salutis et iustitiæ et intellectu spiritali. Per.

26. Ad cingulum:

PRÆCINGE, Domine, lumbos mentis et corporis mei, ut iugiter in eis maneat tenor sanctæ castitatis. Per.

27. Ad baltheum:

ACCINGE, Domine, gladium tuum super fæmur meum, potentissime, ut viriliter possim contra inimicos meos dunicare spe firma caritatis æternæ. Per.

28. Ad stola[m]:

STOLA iustitiæ circumda, Domine, cervicem /123^v/ meam, [et]¹ ab omni corruptione peccati purifica mentem meam. Per.

29. Oratio:

TOLLITE iugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et inveniatis requiem animabus vestris. Iugum tuum, Domine, suave est, onusque leve omnibus invocantibus te in veritate, me per hoc iugum, quæso, ab omni protege iniquitate.

30. Ad subtile:

INDUE me, Domine, tunica iustitiæ et innocentiae, et da, ut per me verba tua sancta resonantia plebs tua mentis auribus possit percipere, et in ipsis et per ipsa ad vitæ æternæ fructum congaudeat pervenire. Per.

31. Ad dalmaticam:

DOMINE Deus, indue me, quæso, vestimento salutis, et indumento iustitiæ atque lætitiæ sempiternæ indue me semper. Per.

32. Ad manipulum:

MANIPULUM innocentiae pone, Domine, super manum meam, et appone iustitiam pro iniquitate mea. Per.

33. Ad pectorale:

TE, Sancta Dei Crux, humiliter obsecro, ut tua virtute meum pectus munias, animas custodias, cogitationem sanctifices per Christum Iesum, qui pependit in te. Per.

34. Ad casulam:

INDUE me, Domine, ornamento humilitatis, caritatis et pacis, ut undique munitus virtutibus possim resistere vitiis et hostibus mentis et corporis. Creator totius creaturæ, Deus, dignare me indignum famulum tuum indumentis iustitiæ et lætitiæ indu[e]re,² ut pura mente ante conspectum tuum astare merear. Per Christum.

¹ *Orig. add.*

² *Orig. add.*

35. *Ad cirotecas:*

INDUE <me>,¹ Domine Deus omnipotens, manus meas iustitia et inno/124^f/centia, ut mente purgatus, digne tractare possim tua mysteria. Per.

36. *Ad anulum:*

ANULUM, Domine, tuæ subarrationis infer digito meo pro signaculo tuæ sanctissimæ defensionis. [R.] Amen.

37. *Ad mitram:*

PONE, Domine, galeam salutis in capite meo ad expugnandas et exsuperandas omnes diabolicas catervas. [R.] Amen.

38. *Ad baculum:*

DA mihi, Domine, baculum iustitiæ, virgam directionis, virgam regni tui, ut te feriente, quos debeo, feriam, et te parcente, quibus convenit, parcam. Per.

¹ *Orig. del.*

XXV. [Benedictionale] /125^f/

1. *Benedictio. In die Nativitatis Domini. Oratio:*

BENEDICAT vobis omnipotens Deus, vestramque ad superna excitet intentionem, qui hunc sacratissimum diem nativitate filii sui fecit esse sollemnem. [R.] Amen. Et qui eum, qui panis est angelorum in præsepi, ecclesiæ cibum fecit esse fidelium animalium, ipse vos et in præsentis sæculo degustare faciat æternorum dulcedinem gaudiorum, et in futuro perducatur satietatem æternorum gaudiorum. [R.] Amen. Quique eius infantiam vilibus voluit indui pannis, ipse vos cælestium vestimentorum induat ornamentis. [R.] Amen. Quod ipse præstare.

2. *In die sancti Stephani protomartyris:*

DEUS, qui beatum Stephanum protomartyrem coronavit confessione fidei et agone martyrii, mentes vestras circumdet in præsentis sæculo corona iustitiæ, et in futuro perducatur vos ad coronam gloriæ. [R.] Amen. Illius obtentu tribuat vobis Dei et proximi caritate semper exuberare, qui hanc studuit etiam inter lapidantium impetus obtinere. [R.] Amen. Quo eius exemplo roborati, ab eo, quem ille a dextris Dei vidit stantem mereamini benedici. [R.] Amen. Quod ipse.

3. De sancto Iohanne evangelista:

OMNIPOTENS Deus, dignetur vobis per intercessionem beati Ioannis apostoli et evangelistæ benedicere, qui per eum arcana Verbi sui voluit /125^v/ ecclesiæ revelare. [R.] Amen.

Concedat vobis, ut quod ille Spiritus Sancti munere afflatus vestris auribus infudit, eiusdem Spiritus dono capere mente valeatis. [R.] Amen.

Quo eius documento de divinitate nostri redemptor edocti, et [a]mando¹ quod tradidit et prædicando quod docuit, et exsequendo quod iussit, ad dona pervenire mereamini, quæ idem Iesus Christus Dominus noster repromisit. [R.] Amen.

Quod ipse.

4. De Innocentibus:

OMNIPOTENS Deus, pro cuius Unigeniti veneranda infantia infantium innocentum catervas Herodis funesti peremit sævitia, suæ vobis benedictionis tribuat dona gratissima. [R.] Amen.

Et qui eis concessit, ut unicum Filium eius Domini nostri non loquendo sed moriendo confiterentur, concedat vobis, ut fidem vestram, quam lingua vestra fatetur, etiam mores probi et vita inculpabilis fateatur. [R.] Amen.

Quique eos primitivum fructu bonorum operum vos pervenire faciat ad gaudia æternæ patriæ. [R.] Amen.

Quod ipse.

5. In octava Nativitatis Domini:

OMNIPOTENS Deus, cuius Unigenitus hodierna die ne legem solveret, quam adimplere venerat, corporalem suscepit circumcisionem, spirituali circumcisione mentes vestras ab omnibus vitiorum incendiis expurget, et suam in vos infundat benedictionem. [R.] Amen.

Et qui legem per Moysen dedit, ut per mediatorem nostrum benedictionem /126^r/ daret, exuat vos mortificatione vitiorum, et faciat perseverare in novitate virtutum. [R.] Amen.

Quo sic in senarii numeri perfectione in hoc sæculo vivatis, et in septenario inter beatorum spirituum agmina requiescatis, quatenus in octavo resurrectione renovati, iubilæique remissione ditati, ad gaudia sine fine mansura perveniatis. [R.] Amen.

[Q]uod ipse.

6. De Epiphania Domini:

DEUS, lumen verum, qui Unigenitum suum hodierna die stella duce gentibus voluit revelare, sua vos dignetur benedictione ditare. [R.] Amen.

¹ *Orig. add.*

Quo exemplo magorum mystica Domino Iesu Christo munera offerentes, spreto antiquo hoste, spretisque contagiis vitiorum, ad æternam patriam redire valeatis per vitam virtutum. [R.] Amen.

Detque vobis veram mentium innocentiam, qui super Unigenitum suum Spiritum Sanctum demonstrari voluit per columbam, eaque virtute mentes vestræ exercentur ad intelligenda divinæ legis arcana, qua in Cana Gallilææ lympha est in vinum conversa. [R.] Amen.

Quod ipse prærare¹ dignetur, cuius regnum et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. [R.] Amen.

7. In Purificatione sanctæ Mariæ virginis:

OMNIPOTENS Deus, qui Unigenitum suum hodierna die in assumpta carne in templo voluit præsentari, /126/ benedictionis suæ vos munere fultos bonis operibus faciat exornari. [R.] Amen.

Et qui eum, ut legem adimpleret ministrum voluit effici legis, mentes vestras instruat, legis suæ spiritalibus documentis. [R.] Amen.

Quo ei et pro turturibus castitatis sine caritatis munera offerre valeatis, et pro pupillis columbarum Spiritus Sancti donis exuberetis. [R.] Amen.

Quod ipse præstare.

8. In dominica Palmarum:

BENEDICAT vobis omnipotens Deus, cui et ieiuniorum maceratione et præsentium dierum observatione placere studetis. [R.] Amen.

Concedatque vobis, ut sicut ei cum ramis palmarum ceterarumve frondium præsentari studuistis, ita cum palma victoriæ et fructu bonorum operum ei post obitum apparere valeatis. [R.] Amen.

Quique unigeniti Filii eius passionem puro corde creditis, et mente devota venerari studetis ad resurrectionis eius festa, et vestræ remunerationis præmia ipsius fultimimine veniatis. [R.] Amen.

Quod ipse præstare.

9. In Cena Domini:

BENEDICAT vos Deus, qui per unigeniti Filii sui passionem vetus pascha in novum voluit converti, concedatque vobis, ut expurgato veteris fermenti contagio, nova in vobis perseveret conspersio. [R.] Amen.

Et qui ad celebrandam nostri Redemptor/127/ is cænam mente devota convenistis, æternarum dapium vobiscum æpulas reportetis. [R.] Amen.

Ipsiusque opitulante clementia mundemini a sordibus peccatorum, qui ad insinuandum humilitatis exemplum, pedes voluit lavare discipulorum. [R.] Amen.

Quod ipse præstare dignetur.

¹ Sic, malim: præstare.

10. In Sabbato Sancto:

DEUS, qui ecclesiae suae intemerato utero novos populos producens, eam virginitate manente nova semper prole fecundat, fidei, spei et caritatis vos munere repleat, et suae in vos benedictionis dona infundat. [R.] Amen.

Et qui hanc sanctissimam noctem Redemptoris nostri resurrectione voluit illustrare, mentes vestras peccatorum tenebris mundatas virtutum copiis faciat coruscare. [R.] Amen.

Quo eorum, qui modo renati sunt innocentiam imitari certetis, et vascula mentium vestrarum exemplo praesentium luminum illustretis, ut cum bonorum operum lampadibus ad huius sponsi thalamum, cuius resurrectionem celebratis, cum prudentibus virginibus intrare possitis. [R.] Amen.

[Quod ipse.]

11. De Resurrectione Domini:

BENEDICAT vos omnipotens Deus hodierna interveniente paschali sollemnitate, et ab omni miseratus dignetur defendere pravitate. [R.] Amen.

Et qui ad aeternam vitam /127/ Unigeniti sui resurrectione vos reparat, in ipsius adventu immortalitatis vos gaudiis vestiat. [R.] Amen.

Et qui expletis ieiuniorum sive passionis dominicae diebus, paschalis festi gaudiae celebratis, ad ea festa, quae non sunt annua, sed continua, ipso opitulante, exsultantibus animis veniatis. [R.] Amen.

Quod ipse praestare.

12. De Ascensione Domini:

BENEDICAT vos omnipotens Deus, cuius Unigenitus hodierna die caelorum alta penetravit, et vobis, ubi ille est, ascendendi aditum patefecit. [R.] Amen.

Concedat propitius, ut sicut post resurrectionem suam discipulis visus est manifestus, ita vobis in iudicium venientis, videatur esse placatus. [R.] Amen.

Et qui eum consedere Patri in sua maiestate creditis vobiscum manere, usque in finem saeculi, secundum suam promissionem sentiatis. [R.] [Amen.]

Quod ipse.

13. In die Pentecosten:

DEUS, qui hodierna die discipulorum mentes Spiritus paracliti infusione dignatus est illustrare, faciat vos sua benedictione repleti, et eiusdem Spiritus donis exuberare. [R.] Amen.

Ille ignis, qui super discipulos apparuit, peccatorum vestrorum sordes expurget, et sui luminis infusione corda vestra perlustret. [R.] Amen.

Quique dignatus est diversitate linguarum in unius /128/ fidei confessionem adunare, in eadem vos fide faciat perseverare, et per hanc ab spe ad speciem suae celsitudinis pervenire. [R.] Amen.

Quod ipse.

14. De sancto Ioanni Baptista:

BENEDICAT vobis omnipotens Deus beati Ioannis Baptistæ intercessione, cuius hodie natalitia celebratis, concedatque, ut cuius sollemnia colitis, patrocinia sentiat. [R.] Amen.

Illius obtentu ab omnibus adversis tueamini, et bonis omnibus perfruamini, qui adventum Redemptoris mundi necdum natus cognovit, matris sterilitatem nascendo abstulit abstulit patris linguam natus absolvit. [R.] Amen.

Quatenus ipsius agni, quem ille digito ostendit, cuiusque immolatione estis redempti, ita virtutum lanis vestiri, et innocentiam valeatis imitari, ut ei in æternæ patriæ felicitate possitis adiungi. [R.] Amen.

Quod ipse.

15. Apostolorum Petri et Pauli:

BENEDICAT vobis omnipotens Deus, qui vos beati Petri saluberrima confessione in ecclesiasticæ fidei fundavit soliditate. [R.] Amen.

Et quos beati Pauli sanctissima instruxit prædicatione, sua tueatur gratissima defensione. [R.] Amen.

Quatenus Petrus clave, Paulus sermone, /1287/ utrique intercessione ad illam vos certent patriam introducere, ad quam illi alter cruce, alter gladio hodierna die pervenire. [R.] Amen.

Quod ipse præstare.

16. De Assumptione sanctæ Mariæ

DEUS, qui per beatæ Maria Virginis partum genus humanum dignatus est redimere, sua nos dignetur benedictione locupletare. [R.] Amen.

Cuiusque¹ semper et ubique patrocinia sentiat, ex cuius intemerato utero, auctorem vitæ suscipere meruistis. [R.] Amen.

Et qui ad eius celebrandam festivitatem hodierna die devotis mentibus convenistis, spiritualium gaudiorum et æternorum præmiorum vobiscum munera reportetis. [R.] Amen.

Quod ipse præstare dignetur.

17. In Decollatione sancti Ioannis:

DEUS, qui nos Beati Ioannis Baptistæ concedit sollemnia frequentare, tribuat vobis et eadem devotis mentibus celebrare, et suæ benedictionis dona percipere. [R.] Amen.

Et qui pro legis eius preconio carcealibus est retrusus in tenebris, intercessione sua a tenebrosorum operum vos liberet incentivis. [R.] Amen.

Et qui pro veritate, quæ Deus est, caput non est cunctatus amittere, suo interventu ad caput vestrum, quod Christus est, vos faciat pervenire. [R.] Amen.

¹ Ms. quisque.

Quod ipse præstare.

18. In Nativitate sanctæ Mariæ:

DOMINE Deus, qui cum te non /129'/ capiant cæli, dignatus es in templo uteri virginalis includi, ut mater integra haberet et fructum de Spiritu, et in corruptionem de partu, da huic plebi angelum custodem, qui filium Mariæ fide concipiente prædixit. [R.] Amen.

Sanctificetque gregem tuum illa benedictione, quæ semine humano te Redemptorem Virginis formavit in utero. [R.] Amen.

Et te protegente exsulent ecclesiæ de congregato populo, sicut Maria meruit gratulari de te, Filio Dei a se incarnato. [R.] Amen.

Quod ipse.

19. De Exaltatione sanctæ Crucis:

BENEDICAT vobis p̄nipotens Deus, qui per Unigeniti sui Iesu Christi Domini nostri passionem et crucis patibulum, genus redemit humanum. [R.] Amen.

Concedatque vobis, ut cum omnibus sanctis, quæ sit eiusdem crucis longitudo, latitudo, sublimitas, et profundum, mente devota comprehendere possitis. [R.] Amen.

Quatenus vosmetipsos abnegando crucemque gestando, ita in præsentis vitæ stadio Redemptorem nostrum possitis sequi, ut ei inter choros angelorum post obitum mereamini adipisci.¹ [R.] Amen.

[Q]uod ipse.

20. De sancto Michael:

ADESTO plebi tuæ, misericors Deus, ob hodiernam sollemnitatem devotissimæ confluenti, et ut gratiæ tuæ beneficia potiora præcipiat, beati Michaelis archangeli festivitatem devote /129'/ celebrantem, fac eius deprecationibus sublevari felicem. [R.] Amen.

Ab omni peccatorum labe defensa, ut eos ad tua æterna perducas promissa, amove ab eis pestiferi serpentis blandimenta, et insere semper cordibus eorum præceptorum tuorum salubria mandata. [R.] Amen.

Actus eorum in tua dirige voluntate, quo possint te auxiliante ad præmia attingere æternæ vitæ, tu eis lux et salus, tu pius semper in omni adversitate protector esse dignare, et ad hæc omnia impetranda, beatus Michael archangelus, cuius frequentamus sollemnia tibi precator accedat. [R.] Amen.

Quod ipse præstare.

21. De festivitate Omnium Sanctorum:

PER intercessionem supernorum civium custodiat vos Dominus, rector angelorum. [R.] Amen.

¹ Sic, malim: ascisci.

Et eorum tutela contra spiritales et carnales adversarios muniti, in numero filiorum Dei mereamini computari. [R.] Amen.

Qui per omnimoda certaminum genera, eius ineffabili gratia pervenerunt ad cælestia regna. [R.] Amen.

[Quod ipse.]

22. De sancto Martino:

BENEDICAT vobis gloriosa et ineffabilis Trinitas, in cuius virtute beatus effulsit Martinus, mortuorum trium suscitator magnificus. [R.] Amen.

Resuscitet vos de vitiorum sepulchris, qui illum apostolicis florere fecit miraculis. [R.] Amen.

Et in cuius transitu vir/130'/tutum occurrit exercitus, vos æternis sedibus collocet idem angelicus cœtus. [R.] Amen.

Quod ipse.

23. In natale plurimorum apostolorum:

DEUS, qui vos in apostolicis tribuit consistere fundamentis, benedicere vobis dignetur beati apostoli sui ill. intercedentibus meritis. [R.] Amen.

Defendatque vos a cunctis adversis apostolicis præsiidiis, qui vos eorum voluit ornari et munerari exemplis et documentis. [R.] Amen.

Quo per eorum intercessionem perveniatis ad æternæ patriæ hereditatem, per quorum doctrinam tenetis fidei integritatem. [R.] Amen.

Quod ipse.

24. In natale unius martyris:

BEATI martyris sui ill. intercessionem vos Dominus benedicat, et ab omni malo defendat. [R.] Amen.

Extendat in vos dexteram suæ propitiationis, qui eum suscepit per supplitia passionis. [R.] Amen.

Quo eius in cælo mereamini habere consortium, cuius devotis mentibus in terra celebratis triumphum. [R.] Amen.

Quod ipse præstare.

25. De sancto Georgio:

DEUS, qui hanc diem beati Georgii martyrio consecratam sollemnem esse voluit, vobis, eius festa celebrantibus pietatis suæ dextera benedicere dignetur propitius. [R.] [Amen.]

Et qui eum fecit vincere genera tormentorum, custodiamque adhibuit angelorum, per suffragia illius largiatur vobis omnium veniam delictorum. [R.] [Amen.] /130'/

Quo ipsius meritis fulti, et intercessionem roborati, suaque etiam ope protecti, pervenire mereamini ad gaudia Paradisi. [R.] [Amen.]

Quod ipse.

26. De Inventionē sanctæ Crucis:

DEUS, qui beatæ Crucis patibulum, quod prius erat reis supplicium, credentium fecisti solatium, concede plebi tuæ, eius salvari præsidio, cuius est armata vexillo. [R.] Amen.

Sit ei crux fidei fundamentum, spei suffragium, in adversis defensio, in prosperis iuvamen, in hoste victoria, in civitate concordia, in campo custodia, in domo futura. [R.] Amen.

Et pastor in futuro gregem servet incolumem, quæ nobis Agno vincente conversa est in salutem. [R.] Amen.

Quod ipse.

27. De sancto Laurentio:

SANCTI martyris tui Laurentii intercessione omnipotens Deus vos dignetur solatiis sustentare, et spiritalibus faciat charismatibus abundare. [R.] [Amen.]

Et qui victoris ignium festa veneramini, meritorum eius apud Deum suffragiis adiuti de incentivis vitiorum triumphare mereamini. [R.] [Amen.]

Quatenus semina iustitiæ in benedictionibus seminantes, de eisdem etiam perpetuos fructus metentes, copiis cælestibus faciat locupletes. [R.] Amen.

Quod ipse.

28. In natale unius confessoris:

OMNIPOTENS Deus det vobis copiam suæ benedictionis, qui beatum illum adscivit sibi virtute confessionis. [R.] Amen.

Et qui illum fecit coruscis miraculis, vos exornet bonorum operum incrementis. [R.] Amen.

Quo eius exemplis eruditi et intercessione muniti, cuius festivitatem depositionis diem commemorationem agitis, celebratis, illi possitis in cælesti regione adiungi. [R.] [A]men.

Quod ipse.

29. Unius virginis:

BENEDICAT vos Dominus, qui beatæ virgini illi concessit et decorem virginitatis et gloriam passionis. [R.] Amen.

[...]¹

Quo sicut illa sexu fragili virile visa est certamen adire, et post certamen de hostibus triumphare, ita vos in hac mortalitate viventes, valeatis et antiquum hostem devincere et ad regna cælestia pervenire. [R.] Amen.

Quod ipse præstare.

¹ *Phrasis secunda deest.*

30. In cottidianis diebus:

BENEDICAT vobis Dominus, et custodiat vos. [R.] Amen.
 Illuminet faciem suam super vos, et misereatur vestri. [R.] Amen.
 Convertat vultum suum ad vos, et donet vobis pacem. [R.] Amen.
 [Quod ipse.]

31. De an[n]iversario dedicationis:

OMNIPOTENS Deus, qui vos annua huius templi dedicatione dignatus est lætificate, ipse vos æterna benedictione dignetur sanctificare. [R.] Amen.
 Concedatque vos mente et corpore castificato fieri templum proprium, et habitaculum Spiritus Sancti sempiternum. [R.] Amen.
 Quatenus tali habitatore /131' [Quod ipse præstare dignetur, cuius regnum et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Et benedictio Dei Pa^{tris} et Fi^{lii} et Spiritus Sancti ^{descendet} super vos, et maneat semper.]¹ gaudentes, et Spiritu Sancto ferventes, inter mundana discrimina semper cælestia desideretis, et ad hæc quandoque possidenda pervenire possitis. [R.] Amen.
 Quod ipse.

32. De Trinitate:

BENEDICAT vos Deus Pater, ex quo omnia, benedicat vos Deus Filius, per quæm omnia, benedicat vos Spiritus Sanctus, in quo omnia. [R.] Amen.
 Benedicat vos trinus et unus Deus omni benedictione cælesti, sanctosque vos et puros faciat in conspectu suo. [R.] [Amen.]
 Superabundent in vos divitiæ gloriæ eius, verbo veritatis instruat, evangelio salutis erudiat, omniumque sanctorum caritate^m locupletet. [R.] Amen.
 Quod ipse.

33. De Annuntiatione:

DOMINUS Iesus Christus, qui in sæculorum fine processit ex Virgine, cor vestram virginitatis incorrupte corona clarificet. [R.] Amen.
 Et qui nuntiante angelo Virginis ingressus est uterum, eius vos mysterii et instruat et muniat sacramento. [R.] Amen.
 Quique hodie Virginis conceptionem devotissime celebratis, ad nativitatem nostri Redemptoris exsultantibus animis et mundo corde perveniatis. [R.] Amen.
 Quod ipse præstare.

¹ *In summa pagina.*

XXVI. Benedictio ensis

1. [Oratio:]

EXAUDI, Domine, quæsumus, preces nostras, et hunc ensem, quo hic famulus tuus, **EN.**, se circumcingi desiderat, maiestatis tuæ dextera bene/132'/dicere dignare, quatenus defensio et protectio possit esse ecclesiarum, viduarum, orphanorum, omniumque Deo servientium contra sevitiam paganorum aliisque insidiantibus, sit pavor, terror et formido. Per.

2. Alia oratio:

FAMULUM tuum, quæsumus, Domine, pietatis tuæ custodia minuat, ut hunc ensem, quem te inspirante desiderat suscipere, te adiuvante illesum custodiat. Per Dominum nostrum.

3. Alia:

BENEDIC, Domine Sancte Pater, per invocationem sancti nominis tui, et per adventum Filii tui Domini nostri Iesu Christi, atque per donum Spiritus Sancti Paracliti hunc ensem, ut is, qui hodierna die tua pietate eo præcingitur, visibiles inimicos sub pedibus conculcet victoriaque per omnia potitus, semper illesus permaneat. Per.

4. Deinde cantatur hæc antiphona, et præcingatur ense. Antiphona:

SPECIOSUS forma præ filiis hominum, diffusa et gratia in labiis tuis. Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.

5. Oratio:

OMNIPOTENS sempiternæ Deus, qui famu[lu]m tuum eminenti mucrone circumcingi iussisti, fac illum contra cuncta adversantia, ita cælestibus armari præsidis, quo nullis hic et in ævum tempestatibus turbetur bellorum. Per Dominum. /132v/

XXVII. [Benedictio] in dedicatione ecclesie¹

1. [Benedictio:]

OMNIPOTENS Deus, qui vos hodierna die ad dedicationem istius ecclesie dignatus est adunare, ipse vos cælesti benedictione dignetur locupletare. [R.] Amen.

¹ *Inscriptum superius ab alia manu: dedicationis ecclesie et altaris.*

Concedatque vobis fieri templum suum et habitaculum Sancti Spiritus, qui proprium Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum pro nobis voluit immolari. [R.] Amen.

Quatenus mente et corpore purificati habitatorem Deum in vobismetipsis habere possitis et æterne beatitudinis hereditatem cum sanctis et electis possidere valeatis. [R.] Amen.

Quod ipse præstare dignetur, cuius regnum et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. [R.] Amen.

Et benedictio Dei Patris omnipotentis et Filii et Spiritus Sancti descendat et maneat super vos semper. [R.] Amen. /133'/

XXVIII. Incipit ordo ad consecrationem altaris

1. Primo dominus episcopus cum pollice suo de aqua sancta faciat crucem in medio altaris. Deinde in dextra et tunc in sinistra et per singula cornua altaris, ita dicens:

Sanctificetur hoc altare in nomine Sanctæ et individuæ Trinitatis et in honore victoriosissimæ Crucis et memoria Sanctæ Mariæ et sanctorum N. vel sancti N.

2. Et diaconus respondeat:

Amen.

3. Et episcopus:

Pax tecum.

4. Et diaconus:

Et cum spiritu tuo.

5. Et hoc dicat episcopus per singulas tinctiones vel unctiones. Et post cum hyssopo aspersorio colligato aspergat dominus episcopus ipsum altare septem vitibus in circuitu, incipiendo antiphonam *Asperges me, Domine hyssopo, et mundabor, quam antiphonam clerus et capellani prosequantur, usque in finem, cantando cum psalmo Miserere mei, Deus cum Gloria Patri. Sicut erat. In fine repetatur antiphona Asperges me, Domine. Antiphona:*

Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor. Ps. Miserere.

6. Psalmo dicto et antiphona repetita, episcopus dicat hanc orationem:

PATEANT aures misericordiæ tuæ super hoc altare tuum, quæsumus, Domine, precibus supplicantium, et, ut petentibus desiderate concedas, fac eos, quæ tibi sunt placita postulare. Per Christum Dominum nostrum. [R.] Amen.

7. Et dicta oratione /133'/ fundat episcopus aquam benedictam ad basim altaris per circuitum, et incipiat antiphonam, schola prosequente:

Introibo ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat iuventutem meam. Ps. Iudica me.

8. Psalmus David:

IUDICA me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo et doloso erue me. Quia tu es, Deus, fortitudo mea. Quare me reppulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus. Emitte lucem tuam et veritatem tuam. Ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua. Et introibo ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat iuventutem meam. Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus. Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus.

9. Antiphona:

Introibo ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat iuventutem meam.

10. Dicto autem psalmo et antiphona repetita, dicat episcopus:

Oremus.

11. **Diaconus:** Flectamus genua. Levate.

SINGULARE illud propitiatorium in altari crucis pro nobis redimendis oblatum, in cuius præfiguratione patriarcha Iacob lapidem erexit in titulum, quo fieret in sacrificium et portæ cæli desuper aperiretur oraculum, supplices tibi, Domine, preces fundimus, ut lapidis huius expolitam materiem, supernis /134'/ sacrificiis inibundam, ipse tuæ ditari sanctificationis ubertate præcipias, qui quondam lapideis legem scripsisti in tabulis. [Per.]¹

12. Hac oratione completa, dominus episcopus lapidem, qui supponendus est, aptari faciat, et tunc crucem de chrismate cum pollice suo faciat subteriori parte, dicens:

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

13. Et post hæc in confossione sive in sepulchro, in quo sanctorum reliquiæ sunt ponende, per quattuor latera faciat crucem de chrismate cum pollice, dicens ad quæmlibet crucem:

Sanctificetur hoc sepulchrum in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

14. Post hæc accipiat reliquias, imponat in confossionem, et incipiat antiphonam, clero prosequente et cappellanis: Antiphona:

Exsultabunt sancti in gloria, letabuntur in cubilibus suis. Euouae.

¹ Orig. add.

15. Psalmus David:

CANTATE Domino canticum novum, laus eius in ecclesia sanctorum. Lætetur Israel in eo, qui fecit eum, et filiæ Sion exsultent in rege suo. Laudent nomen eius in choro, in tympano et psalterio psallant ei. Quia beneplacitum est Domino in populo suo, et exaltavit mansuetos in salutem. Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Exsultationes Dei in gutture eorum, et gladii ancipites in manibus eorum. Ad faciendam vindictam in nationibus, et increpationes in populis. Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles e/134/orum in manicis ferreis. Ut faciant in eis iudicium conscriptum, gloria hæc est omnibus sanctis eius. Laudate Dominum in sanctis eius, laudate eum in firmamento virtutis eius. Laudate eum in virtutibus eius, laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius. Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in psalterio et cithara. Laudate eum in tympano et choro, laudate eum in chordis et organo. Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis, omnis spiritus laudet Dominum. Gloria Patri. Sicut erat.

16. Antiphona:

Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.

17. Hoc dicto ponat episcopus tabulam super reliquias, et liniat bene cum calce, et incipiat antiphonam, schola prosequente:

Sub altare Dei sedes accepistis, intercedite pro nobis ad Dominum Iesum Christum. Euouae.

18. Et cum hoc psalmo:

EXSULTATE Deo, adiutori nostro, iubilate Deo Iacob. Sumite psalmum et date tympanum, psalterium iucundum cum cithara. Buccinate in neom¹menia¹ tuba, insigni die sollempnitatis vestræ. Quia præceptum in Israel est, et iudicium Deo Iacob. Testimonium in Ioseph posuit illud, cum exiret de terra Ægypti, linguam, quam non noverrat, audivit: Divertit ab oneribus dorsum eius, manus eius in cophino /135/ servierunt. In tribulatione invocasti me, et liberavi te, exaudivi te in abscondito tempestatis, probavi te apud aquam contradictionis. Audi, populus meus, et contestabor te, Israel, si audieris me, non erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum. Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, dilata os tuum, et implebo illud. Et non audivit populus meus vocem meam, et Israel non intendit mihi. Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. Si populus meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset. Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, et super tribulantes eos misis[s]em manum meam. Inimici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus eorum in sæcula. Et cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos. Gloria. Sicut erat.

¹ *Orig. del.*

19. Cantato psalmo et antiphona repetita, episcopus dicat hanc orationem:

DEUS, qui ex omni cohabitatione sanctorum concedis habitaculum, da ædificationis tuæ incrementa cælestia, ut quorum hic reliquias pio amore complectimur, eorum semper meritis adiuvemur. Per Christum.

20. Post hæc deferatur incensum, et episcopus turificet altare in modum crucis, et incipiat antiphonam, quam schola prosequatur et cappellani:

Dirigatur Domine ad te oratio mea, sicut incensum in /135/ conspectu tuo.

21. Item incipiat aliam antiphonam, quam schola prosequatur:

Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini, alleluia.

22. Post hæc recipiat de oleo sanctificato pro catechuminis, et faciat crucem in medio altaris. Hoc est lapidis superpositi et per quattuor angulos altaris sive lapidis, et ungat ipsum a lapidem de oleo sanctificato, et per unamquamque crucem sive unctionem dicat ista:

CONSECRARE et sanctificare digneris, Domine, lapidem istum per istam sanctam unctionem et nostram benedictionem. Per Christum Dominum.

23. Diaconus respondeat:

Amen.

24. Episcopus vero:

Pax tecum.

25. Diaconus autem:

Et cum spiritu tuo.

26. Interim tamen cappellani cantent hanc antiphonam:

Erexit Iacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper. Euouae.

27. [Psalmus:]

QUAM dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum. Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum, ubi reponat pullos suos. Altaria tua, Domine virtutum, rex meus et Deus meus. Beati, qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te. Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrimarum, in loco, /136/ quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. Domine Deus virtutum, et exaudi orationem meam, auribus percipe, Deus Iacob. Protector noster, aspice, Deus, et respice in faciem Christi tui. Quia melior est dies una in atriis tuis super milia. Elegi abiectus esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Quia misericordiam et veritatem diligit Deus, gratiam et gloriam

dabit Dominus. Non privabit bonis eos, qui ambulant innocentia, Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te. Gloria. Sicut.

28. Et item cantato psalmo, et antiphona repetita, iterato de oleo sancto faciat pontifex crucem in «medio» medio altaris sive lapidis superpositi, et adquamlibet unctionem vel crucem, dicat:

CONSECRARE et sanctificare digneris, Domine, lapidem istum per istam unctionem, et nostram benedictionem. Per Christum Dominum nostrum.

29. Diaconus respondet:

Amen.

30. Episcopus vero:

Pax tecum.

31. Diaconus autem:

Et cum spiritu tuo.

32. Interim vero clerus cantet hanc antiphonam et cum psalmo:

Mane surgens Iacob erigebat lapidem in titulum fundens oleum desuper. Votum vovit Domino, vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam. Euouae.

33. Psalmus David:

DEUS noster refugium et virtus, adiutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris. Sonuerunt et turbatæ sunt aquæ eorum, conturbati sunt montes in fortitudine eius. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio eius, non commovebitur, adiuvabit eam Deus mane diluculo. Conturbatæ sunt gentes et inclinata sunt regna, dedit vocem suam, mota est terra. Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob. Venite et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram auferens bella usque ad finem terræ. Arcum conteret et confringet arma, et scuta comburet igni. Vacate et videte, quoniam ego sum Deus, exaltabor in gentibus et exaltabor in terra. Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob. Gloria. Sicut erat.

34. Item tertia vice accipiat episcopus chrisma, et similiter faciat crucem in medio altaris superpositi cum chrismate et etiam per quatuor angulos, dicens:

CONSECRARE et sanctificare digneris, Domine, lapidem istum per istam unctionem et nostram benedictionem. Per Christum Dominum nostrum.

35. Et diaconus respondet:

Amen.

36. *Episcopus vero:*

Pax tecum.

37. *Diaconus autem:*

Et cum spiritu tuo.

38. *Interim autem cappellani cantent hanc antiphonam:*

Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. /137/ Euouae.

39. [Psalmus:]

FUNDAMENTA eius in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Memor ero Rahab et Babylonis scientium me. Ecce, alienigenæ et Tyrus et populus Æthiopum, hi fuerunt illic. Numquid Sion dicet: Homo et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus. Dominus narravit in scripturis populorum et principum, horum, qui fuerunt in ea. Sicut lætantium omnium nostrum, habitatio est in te. Gloria. Sicut.

40. *Postea vero cantato psalmo, et antiphona repetita, accipiat episcopus thuribulum cum incenso, et thurificet altare tribus vicibus, semper repetendo antiphonam, quam cappellani prosequentur. Antiphona:*

Ædificavit Moyses altare Domino Deo.

41. *Et item secundo Ædificavit Moyses altare Domino Deo, et item tertio Ædificavit Moyses altare Domino Deo. Post hæc dicat hanc orationem:* Oremus.

DEUS, qui ex omni cohabitatione sanctorum tuorum æternum tibi concedis habitaculum, da ædificationi tuæ incrementa cælestia, ut quorum hic reliquias pio amore amplectimur, eorum semper meritis adiuvemur. Per.

42. *Post hæc accipiat episcopus quinque granaturis grossa, et ponat unum in medio altaris, et alia quattuor ponat in quattuor angulis altaris, et incendat cum candela omnia quinque /137/ episcopus, et incipiat graduale, cantando, quod cappellani prosequantur. Graduale:*

Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo, Domine. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

43. *Et post hæc, prosequenter dicat:* Oremus. *Oratio:*

DOMINE sancte Pater omnipotens æterne Deus, clemens et propitius preces nostræ humilitatis exaudi, et respice ad huius altaris holocaustum, quod non igne visibili probetur, sed infusum Sancti Spiritus gratia in odorem tuæ suavitatis ascendit, et legitime se summentibus eucharistia medicabilis fiat, et ad vitam proficiat sempiternam. Per.

44. Et post hæc dicat episcopus hanc orationem:

DEI Patris omnipotentis misericordiam deprecemur, fratres dilectissimi, ut hoc altare sacrificiis spiritualibus consecrandum, vocis nostræ exoratus officio præsentis benedictione sancti ✠ficet, et in eo semper oblationes famulorum suorum studio suæ devotionis impositas benedi ✠cere, sanctifi ✠care dignetur, ut spirituali placatus incenso, precanti familiæ suæ promptus exauditor assistat.

45. Et post hæc dicat episcopus: Oremus. **Diaconus vero:** Flectamus genua. Levate.

DEUS omnipotens, in cuius honore hoc altare sub /138'/ invocatione tui nominis consecramus, clemens et propitius preces nostræ humilitatis exaudi, et præsta, ut in hac mensa sint tibi accepta libamina, sint grata et sint pingua, et Sancti Spiritus tui semper rore perfusa, ut omni tempore in hoc loco supplicantis tibi familiæ tuæ anxietates releves, ægritudines cures, preces exaudias, vota suscipias, desiderata confirmes, postulata concedas, ut donum gratiæ tuæ sani illæsi beatique pervenire mereantur. Per Dominum.

46. Tunc dicat episcopus excelsa voce: Per omnia sæcula sæculorum. [R.] Amen. Dominus vobiscum. [R.] Et cum spiritu tuo. Sursum corda. [R.] Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. [R.] Dignum et iustum est. **Præfatio:**

U ET iustum est, equum et salutare. Nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte Pater, omnipotens æterne Deus. Et ut propensiori cura, et attentiori famulatu tibi servitutis officia deferamus, hoc præsertim in tempore, quo religiosarum mentium habitum ultra parietum ornatum delegisti, et in quo sanctorum tuorum mentio habetur, **hic recitet <e> nomina sanctorum, quorum reliquiæ in ipso altari sunt sepultæ** per quorum sacram reverentiam et honorem sacratissimo nomini tuo hoc altare dedicamus. Horum igitur, Domine, efflagitatus precibus, dignare hoc altare cælesti sanctificati ✠one perfundere et benedi ✠cere, assistant angeli claritatis, et Sancti Spiritus illustra/138'/tione perfulgeat, sit quoque illius apud te gratiæ, cuius fuit illud, quod Abraham pater fidei, in nostra figura redemptionis filium immolaturus exstruxit, quod Isaac in conspectu tuæ maiestatis instituit, quod Dominum Iacob visione magna videns erexit, ut hic orantes exaudias, hic oblata sancti ✠fices, hincque superposita benedicas, hinc benedicta distribuas. Sit ergo ecclesiæ tuæ titulus sempiternus, sit mensa cælestis spirituali convivio præparata. Tu ergo, Domine, proprio ore tuo hostias super eam impositas benedici ✠to, et benedic ✠tas suscipito, atque nobis omnibus tribue, ut participatione earum acquiramus vitam æternam. Per Dominum.

47. Post hæc dicat hanc orationem:

MAIESTATEM tuam, Domine, humiliter imploramus, ut hoc altare sacræ unctio-
nis libamine ad suscipienda populi tui munera in unctum potenter benedi ✠cere et sancti ✠ficare digneris, et quod nunc a nobis indignis sub tui nominis invocatione in honore et nomine sancti **vel sanctorum hic recitet nomina sanctorum, quorum reliquiæ in ipso altari sunt sepultæ** sacrosancti chrismatis unctio est delibatum, placeat tibi ac altare maneat in perpetuum, ut quicquid deinceps super illud oblatum

sacratumque fuerit, dignum tibi fiat holocaustum, atque omnium hic offerentium sacrificia a te pio Deo benigne suscipiantur, et per ea peccatorum /139'/ nostrorum vincula absolvantur, maculae deleantur, veniae impetrentur, gratiae acquirantur, quatenus una cum sanctis et electis tuis vitam percipere mereamur aeterna. Per.

48. Post haec autem dicta praefatione et lecta oratione confirmet ipsum altare dominus episcopus, faciens crucem de chrismate cum pollice superius in fronte lapidis altaris, et incipiat antiphonam, quam cappellani prosequuntur cum Gloria Patri et Sicut erat in principio. Antiphona:

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis a templo sancto tuo, quod est in Ierusalem, alleluia, alleluia. Euouae. Gloria Patri. Sicut erat.

49. Post hanc antiphonam episcopus ascendat ad altare, et cappellani vestiant altare, episcopus incipiat antiphonam, quam cappellani prosequentes cum psalmo:

Circumdate Sion levite, altare Domino, et vestite illud vestimentis albis, et estote et vos canentes hymnum novum, dicentes: Benedictus Dominus. Euouae.

50. [Psalmus:]

BENEDICTUS Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae. Et erexit cornu salutis nobis in domo David, pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorum, qui a saeculo sunt, /139'/ prophetarum eius. Salutem ex inimicis nostris et de manu omnium, qui oderunt nos. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris et memorari testamenti sui sancti. Iusiurandum, quod iuravit ad Abraham, patrem nostrum, daturum se nobis. Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi. In sanctitate et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Et tu, puer, Propheeta Altissimi vocaberis, praebis enim ante faciem Domini parare vias eius. Ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum. Per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto. Illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Gloria Patri. Sicut erat.

51. [Antiphona:]

◁Circumdate Sion. Sicut erat in principio.▷ Et repetatur antiphona: Circumdate Sion.

52. His peractis accipiat episcopus thuribulum cum incenso, et turificet altare tribus vicibus, incipiendo antiphonam, quam semper clerus prosequatur:

Omnis terra adoret te, Deus, et psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo, Domine.

53. Et similiter secunda vice turificet incipiendo antiphonam Omnis terra. Et item tertia vice turificet, incipiendo antiphonam Omnis terra. Post haec dicat: Oremus. /140'/

DEUS, qui loca nomini tuo consecranda sanctificas, praesta auxilium gratiae tuae, ut quod nostra fragilitas non meretur, intercedente beato N. vel beatis N.

hic nomet episcopus sanctos, quorum reliquiæ in altari sunt sepultæ, huc plenitudo Spiritus tui descendat, qui et munera nostra sancti ✠ficet, et indulgentiam nobis tuæ misericordiæ obtineat.

54. Hac oratione lecta, domnus episcopus incipiat antiphonam, quam cappellani prosequentur:

Corpora sanctorum in pace sepulta sunt, et vivent nomina eorum in æternum. Euouae.

55. Et episcopus dicat hanc orationem, ut supra: Oremus.

PROPITIARE quæsumus Domine, nobis indignis famulis tuis per sanctorum tuorum merita gloriosa, quorum reliquiæ in isto requiescunt altare, ut eorum intercessione ab omnibus semper protegamur adversis. [R.] Amen.

56. His peractis, missa in eodem altari dicatur.

XXIX. [Præx ad consecrandum cimiterium]

1. Per omnia sæcula sæculorum. Dominus vobiscum. Sursum corda. Gratias agamus. [Præfatio:]

UET iustum est, æquum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte Pater, omnipotens æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Qui est dies æternus, lux indeficiens, claritas sempiterna, qui sic sequaces suos in luce præcepit ambulare, ut noctis æterne valeant caliginem evadere, et ad lucis patriam feliciter pervenire. Qui per humanitatem assumptam Lazarum flevit, per divinitatis potentiam vitæ reddidit, atque humanum genus, quadrifido peccatorum mole obrutum, ad vitam reduxit. Per quem te, Domine, suppliciter deprecamur, quatenus, qui in hoc sepeliuntur polyandro, in novissimo cum tube perstreperint angelorum, a peccatorum nexibus absoluti et æternæ felicitati redditi, et sanctorum cœtibus connumerati, te, qui es vita æterna, benignum et misericordem inveniant, ut te, auctorem vitæ exsultantes cum omnibus sanctis collaudent. Per Dominum.

2. [Oratio:]

DOMINE sancte Pater, omnipotens æterne Deus, locorum omnium sanctificator et reformator in melius, a quo et per quem omnis benedictio de cælis descendit in terris, bene ✠dicere dignare locum istum, ut sit polyandrum seu cimiterium dulcis requies et pausatio mortuorum, quo animæ, quarum corpora hic sepulta, vel sepelienda sunt, iucunditatis tuæ dulcedine potiantur, sintque interim in superna Ierusalem gaudentes et lætantes, donec in magni iudicii die de sepulcris propria corpora recipiant, et sic venienti Domino ad iudicandum obviam cum fructu bonæ operationis occurrant. Per Dominum.

3. Deinde intret sacristiam episcopus, et præparet se ad missam, si vult. Collecta missæ:

DEUS, in cuius miseratione animæ fidelium requiescunt, huic cimiterio, quæsumus, Domine, angelum tuum sanctum deputa custodem, et quorum quarumque corpora hic in te sepeliuntur, animas eorum ab omnibus absolve vinculis delictorum, ut in te semper cum sanctis tuis sine fine lætentur. Per.

4. Secreta:

MUNERA, Domine, oblata sanctifica, et qui te ipsum in sepulcro poni voluisti, et exemplum resurgendi fidelibus tuis largiri dignatus es, da, quæsumus, fidelium tuorum animabus hic in te quiescentibus, veniam peccatorum, ut te salutaris hostia sit remedium et requies animarum eorum et corporum.

5. Complenda:

MUNERIBUS sacris satiati, quæsumus, Domine Deus noster, ut plebs tua, quæ in futuro a morte corporis resurrectione creditur, te miserante, a morte animæ resurgere mereatur. Per Dominum. /141'/¹ /141'/

¹ *Pagina vacua.*

[Index titulorum]

- I Ordo ad catezizandum² infantes
- V Ordo in Sancto Sabbato
- IX Ordo quomodo baptizati confirmentur
- X Benedictio ad clericum faciendum
- XXI Ordo ad vocandum seu examinandum vel consecrandum episcopum
- XXV Ordo ad consecrationem episcopi electi
- XXXI Ordo ad consecrandum locum ecclesiæ
- Canon de ædificanda ecclesia
- XI Incipit ordo de sacris ordinibus
- XI Ordinatio ostiarii
- XII De acolythis
- XIII De subdiaconis videlicet sacris ordinibus
- XV Canon ad faciendos diaconos
- XV Canon ordinandi sacerdotes
- XXXV Ordo ad consecrationem cimiterii

² *Sic, malim: catechizandum.*

- XXXVII Ordo ad consecrationem ecclesiarum
 LXVII Ordo benedictionis vestium sacerdotalium
 LXVIII Ordo benedictionis corporalium
 LXIX Canon ad benedicendam patenam
 Modus ad consecrandum calicem
 LXX Benedictio f[ac]ienda ad orarium
 Benedictio facienda ad zonam
 Benedictio ad casulam seu ...¹
 LXX Benedictio novæ crucis
 LXXII Benedictio peræ
 LXXII Benedictio baculi peregrinorum
 Ad signum ecclesiæ benedicendum
 LXXIII Benedictio ad stolam
 LXXIII Reconciliatio violatæ ecclesiæ
 LXXV Ordo ad abbatem faciendum
 LXXVIII Ordo ad abbatissam faciendam
 LXXX Consecratio sacræ virginis
 Benedictio vestimentorum virginum
 LXXXIII Ordo Romanus qualiter concilium agatur sive synodus sancta
 LXXXVIII Ordo ad benedicendum regem
 LXXXV Ordo ad benedicendam reginam
 LXXXIX Ordo minorum fratrum² secundum consuetudinem Romanæ ecclesiæ
 Ordo ad visitandum infirmum
 CVIII Ordo ad sepeliendum infirmum
 CX Septem psalmi
 CXIII Quindecim gradus
 CXX Summe sacerdos
 CXXIII Præparatio episcopi ad missam
 Benedictiones per annum
 XXXIII Litaniæ
 LXXII Benedictio campanæ
 LXXIII Benedictio altaris

¹ *Sic.*

² *In margine:* Conventus Cassoviensis Ordinis Minorum Reform. Provinciæ SS. Salvatoris 1686.